DE PRAEDETERMINATIONE PHYSICA ET DECRETO INDIFFERENTI...

Jean Courboulez

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
26/MA
30
Digitized by Google

Digitized by Google

DE PRÆDETERMINATIONE PHYSICA ET DECRETO INDIFFERENTI.

Diſputatio bipartita.

IVXTA VERAM D. Thomæ Doctrinam.

Contra R. P. Labat, Ord. Prædicatorum.

Authore P. IOANNE COVRBOVLEZ E' Societate IESV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TOLOSÆ,
Excudebat Ioannes Bovde, Regis, Comitiorum Linguæ Occitanæ, & Academiæ Toloſanæ Typographus.

M. DC. LXVII.

Digitized by Google

8.26.A.20

Digitized by Google

DISPVTATIO BIPARTITA.

De prædeterminatione Ph… & decreto indiffere…ti.

Contra R. P. Labat, … Prædicatorum.

OCCASIO SCRIBEN…

PRODIIT ab aliquo tempore opus mole illud quidē exiguum, ſed quod, ſi ex præfixo titulo metiri quiſquam velit, ingenti ſanè pretio æſtimari poſſit : duo namque promittit, quæ ſi præſtaret, & gratiam prædeterminantem à validiſſimo adverſariorum impetu ex parte aſſeruiſſet, & aſſertores

ſcientiæ mediæ non dubiâ ſtrage profligaſſet: hos autem ſuſcepti operis ſucceſſus quantis animorum gaudiis, quantis plauſibus tota prædeterminantium natio exciperet, quid attinet dicere? Sed rem omnem ita digeſſit vir mitiſſimus, vt ingentem quidem ruinam ſtatim minetur, neminem tamen ne leviter quidem feriat: qua in parte ut intempeſtivam humanitatem optimo patri a me ambitiosè tribui nemo ſuſpicetur, brevem hîc, ſed germanam operis ab ipſo editi ideam ſic delineabo, delineatæque ductus præcipuos omnes ſic expendam, ut nec fidem in referendo meam ipſe deſideret, nec longioris diſputationis tædia lector conqueratur: & ſanè ego id mihi onus ſubeundum non putaſſem, ut qualemcumque illum hominis conatum pro præmotionibus phyſicis contra decretum indifferens ſcribentis retunderem, ſi thraſonicum titulum in quo ſolo magnificè triumphat, nihil moratus, ad unum dumtaxat argumentorum pondus quæ affert, & doctrinæ vim quam proponit, attendiſſem: ſic enim

Digitized by Google

cauſam ſuam tuetur, ſic noſtram impugnat, ut nec ſuæ novum præſidium afferat, quo gaudere poſſit, nec noſtræ excidium ullum paret, quod quiſquam meritò timere debeat: non igitur defenſionis neceſſitas, quaſi verò opinioni quam tuemur labefactatio aliqua ab iſtius ſcriptoris impetu timenda ſit, iſtam operis ab ipſo editi refutationem extorquet, ſed quod fatear, ſcribentis, viri alioqui religioſiſſimi præſidentia, talem nimirum ac tantam præ ſe fert, ut cum in primâ ſui operis parte *ſolutionem obiectionis intricatiſsimœ ac difficillimæ clariſsimam à pluribus tentatam & à nemine hactenus obtentam* quam promiſerat, nullam tamen reipſa adhibeat, niſi aliunde emendicatam eamque inſuperabilibus difficultatibus impeditam: in alterâ verò decretum indifferens, cuius certiſſimum excidium nobis intentabat, non uno aut altero argumento, ſed ſi Superis placet, quinque demonſtrationibus, aut ne attingat quidem, aut certè ſi attingit, illæſum nihilominus integrumque omnino relinquat, cùm

Digitized by Google

inquam, tam magnificis promiſſis adeo ieiuna ſuccedat elucubratio, ut ne probabiliter quidem ea aliquâ ex parte impleat, ſic nihilominus de ſententia noſtra, tanquam de cauſa deplorata loquitur, nullo nixâ fundamento, Semi-Pelagianiſmi labe infectâ, ab Auguſtino & D. Thoma iam pridem apertè reiectâ, & in Arauſicano concilio damnatâ, quæ omnia ſi aliquo humanitatis ſale vir mittiſſimus condiret, aut certè à convitiis abſtineret vir Religioſiſſimus, ſilentio prætereunda videri potuiſſent, *ſed nos iam doctrinæ noſtræ imminutionem ſentire, in ſcholis palabundos vagari, ineptiſsimo famæ deſiderio ferri, ambire ab omnibus iactari*, ſcribit & huiuſmodi nos condecorare titulis non erubeſcit, ut ſub finem iſtius operis non pigebit commemorare.

Accedit importuna hominis ſuarum demonſtrationum tùm privatim tùm publicè venditatio, quoties enim de hiſce rebus diſputandi occurrit occaſio, occurrit autem ſæpe, quaſi in numerato demonſtrationes haberet, mo-

dò tertiã, modò quintam, vel nonam, modò trigeſimam aut etiam centeſimam depromit, imò auditus eſt aliquando milleſimam, ut ajebat, proponere, ſed quod ſuſpicor, errabat in numero; nec ſatis habet hæc palam iactare, ſed in privatis colloquiis, ubi non tam anguſtis finibus tenetur modeſtia, & ubi plus aliquid ſibi licere putat, profligatam à ſe ait noſtram opinionem, neminem hactenus reſpondere potuiſſe ſuis demonſtrationibus, nec operi à ſe edito quemquam reſponſurum; movent quidem illa plerumque riſum eruditorum, interdum etiam aliquam indignationem, fidem verò, quantum coniicio, vel apud neminem faciunt, vel certè apud paucos; ne tamen qui præjudiciis potius quàm rationum momentis quæſtiones quaſque difficillimas definire ſolent, ſunt autem hujuſmodi homines non pauci, ſpecioſis illis nominibus *demonſtrationis primæ, ſecundæ, tertiæ, &c.* Vim aliquam ſubeſſe putent non levem, & dum in academia & in conceſſibus publicis & privatis crebrò audiunt hominem cæ-

ceroqui Religioſiſſimum, jam in Theologicis diſciplinis à multis annis exercitatum, & emeritum apud ſuos profeſſorem tam aſſeveranter obfirmatéque clamantem, inculcantemque ſe jam quinque demonſtrationibus decretum indifferens excidiſſe, eas à ſe multis iiſque eruditis viris propoſitas fuiſſe, neminemque inventum, qui vim demonſtrationum non ſentiret, veraſque ac germanas demonſtrationes non agnoſceret, ne inquam tam magnificæ voces fucum cuiquam faciant, & ſilentium noſtrum in cauſæ ſuæ patrocinium vocet, ecce adſum & quam deſperabat reſponſionem bonâ fide repræſento, controverſiam iſtam ita pertractaturus ut nec minuta quæque perſequar, nec grave aliquid quod ad cauſam iſtam pertineat, ommittam. Habes hîc, lector, quid me ad ſcribendum impulerit, tu æqui bonique conſules, ut antequam diſputationem ipſam aggrediar, brevem totius operis à P. Labat editi ideam ex ipſo titulo quem illi præfixit, tibi ob oculos proponam.

BREVIS

Digitized by Google

BREVIS IDEA

Vltimi Theologiæ ſcholaſticæ complementi à R. P. Labat Ordinis Prædicatorum editi, ex titulo quem operi ſuo præfixit.

EX titulo germanam totius operis cui præfigitur ideam à me inveſtigari nemo mirabitur, qui meminerit à Caſſiodoro in præfatione variorum librorum *Titulum, operis indicem, cauſarum præconem, totius orationis breviſſimam vocem* appellari: cùm ergo non authoritas modò, ſed ratio ipſa doceat præfixum operi titulum compendioſam quandam veluti imaginem eſſe ſolere & debere rerum omnium quæ toto deinceps opere fuſiùs explicatæ continentur; operæ pretium fore duxi, ſi quod in ædificiis inſpiciendis obſervari ſolet, frontem operis priùs diligenter contemplemur, & quid in ipſis penetralibus ſpectandum veniat,

ex ipſa liminis amplitudine & magnificentia coniiciamus: ſic ergo librum ſuum inſcribit. *Theologiæ ſcholaſticæ ſecundùm illibatam D. Th. doctrinam, ultima pars ſeu ultimum complementum, ſolutionem obiectionis intricatiſsimæ, ac difficillimæ de divina gratia, cum clariſsima eius expoſitione à pluribus tentatâ, & à nemine hactenus obtentâ complectens: cui accedit ultimi ſcientiæ mediæ aſſertorum de decreto indifferenti perfugÿ ſeu effugÿ everſio ac profligatio.*

Bene eſt, hactenus mutilam ex mente Patris Labat Theologiam habuit prædeterminantium ſchola, ſed ecce vnde tempora noſtra non parùm glorientur, & quod academiis omnibus gratulemur plurimùm: prodiit nunc tandem *Theologiæ ſcholaſticæ ultimum complementum*: complectitur autem, ut ait, *ſolutionem obiectionis intiricatiſſimæ ac difficillimæ de divina gratia*, quâ ſcilicet gratia prædeterminans impugnari ſolet ab his, qui illam rejiciunt, eſt autem huiuſmodi: *ſi neceſſaria foret illa prædeterminatio, qui omitteret actum præceptum non peccaret:*

Digitized by Google

nam ille non peccat, qui non elicit actum præceptum ad quem exercendum caret abſque ſua culpa auxilio neceſſario: atqui plures ſaltem Angeli, & primi parentes dum primò contra præcepta ſibi à Deo impoſita peccarunt, caruerunt abſque culpa illo neceſſario auxilio Dei & gratiâ ex ſè efficaci: ergo vel non peccarunt vel gratia ex ſe efficax, quæ idem eſt ac prædeterminans, non fuit illis neceſſaria: maior eſt Auguſtini lib. de corrept. & gratia, cap. 11. *minor vero probatur: quia primo peccato Angelorum v. g. non datur priùs.*

Hoc qualecumque argumentum non faſtidioſè contemnit R. P. Labat, ſed ingenuè profitetur eſſe *intricatiſsimum ac difficillimum*: quod cum ita ſit, ingenuam hominis cõfeſſionem ſic ego in rem meam accipio; cum non ſit de fide dari gratiam prædeterminantem, catholice enim & ex æquo, approbante ſede Apoſtolicâ, opinio contraria defenditur, nutare plurimùm gratiam prædeterminantem fateatur oportet, quam intricatiſſimo ac difficillimo argumento, nec ad noſtra uſque tem-

Digitized by Google

pora ſoluto ab adverſariis peti tam certum eſt, ut vel ipſe homo prædeterminatiſſimus id ſentiat, id agnoſcat, & in libri titulum aſſumat: & è contrario validiſſimo argumento niti eos qui oppoſitam, etiam authore D. Thomâ tuentur. Stet itaque ex mente Patris Labat prædeterminationem eſſe admodum incertam.

Quod ut magis ſuadeat addit veritatis vir amantiſſimus illius *intricatiſſimæ difficultatis clariſſimam expoſitionem à pluribus tentatam à nemine hactenus obtentam fuiſſe.* Ac ne quis ſic rem interpretetur, ut exiſtimet fuiſſe quidem ſolutam ab aliis utcumque; ſed deſideratam duntaxat clariſſimam ſolutionis expoſitionem, ipſe optimus ſui interpres, pag 5. non obſcurè pronuntiat à nemine ne tolerabiliter quidem hactenus fuiſſe ſolutam, quantumvis id multi tentaverint: nam dicturus quid ad exponendam prædicti argumenti ſolutionem ipſum impulerit, *forti ac ineluctabili neceſsitate ſe ad id onus ſubeundum trahi* ſcribit: *quo enim pacto illud detrectarem*, inquit, *mihi*

Digitized by Google

impoſitum non ſolum ab iis, qui mihi imperant amicitiæ conſilii & faſtigii iure, ſed etiam ab ipſamet veritatis, atque Dei cauſa quæ non patitur citra noxam longius deſeri indefenſa.

Iacebat ergo hac ſaltem parte veritas atque Dei cauſa *indefenſa*, ſcripſerunt tamen hac de re non pauci ac inter Thomiſtas nobiliſſimi Alvarez, Baunez, Salmanticenſes, Ioannes à S. Thoma. &c. Et propoſitum argumentum in omnem partem verſavere vt ſolverent, eiuſque vim aut eluderent aut retunderent: hoc Patri Labat minimè dubium: *indefenſam tamen Dei cauſam* clamat, *citra noxam deſeri non poſſe longiùs*: quid ita? nimirum ſentit vir in volutandis Thomiſtarum libris aſſiduus *à multis quidem tentatam ſolutionem, à nemine tamen hactenus obtentam*, ideoque jacuiſſe Dei cauſam indefenſam: & advertat, quæſo, lector, quantis in anguſtiis hactenus gemuerit prædeterminationis cauſa hoc argumento quaſi iminani pondere oppreſſa, cum *citra noxam* differri longiùs eius defenſionem haud poſſe iſte

author crediderit : quis ingenuam minimèque fucatam hominis mentem non amet ? quis illius in veritatem amorem ac reverentiam non ſuſpiciat? quis charitatem, quæ ſua ſunt minimè quærentem non miretur ? illi nec fratrum amor illudit, nec in tantos viros reverentia hominem deterret, nec quæ agitur in hac confeſſione prædeterminationis fama, ut acceptum vulnus diſſimulet, impetrare poteſt : amicus Bannez, amicus Alvarez, amica in primis prædeterminatio, ſed quid faceres, magis amica veritas.

Norint igitur omnes ex mente R. Patris Labat Ordinis Prædicat. S. Theol. profeſſoris & in Vniverſitate Toloſanâ Anteceſſoris, quotquot hactenus inter Thomiſtas tentarunt propoſiti argumenti ſolutionem oleum & operam miſerè perdidiſſe, laudari quidem illorum conatum poſſe : nam ardua audere aliqua laus eſt, at irritum ceſſiſſe fateri oportere.

Cum autem illud ingenuè fateatur R. Pater, aliud quod eſt proximum & cum iſto arctâ conſecutione con-

Digitized by Google

junctum mihi pro innato illo animi ſui candore concedat, rogo; enimverô ſi contra propoſiti argumenti vim *indefenſa* hactenus fuit *cauſa Dei*, hoc eſt, gratia prædeterminans: ergo quoties in academiis, in publicis conceſſibus, aut privatis cœtibus hoc robuſtiſſimo telo petita eſt prædeterminatio, toties *indefenſa* manſit, vel certè ad inconditos clamores tanquam ad aſylum peropportunum recurrere neceſſe fuit, aut quod ſupereſt, ad inanem ſolutionem miſero aliquo obſoletarum vocum involucro contectam: ſed quid, quæſo, factum fuerit, cum in congregatione de auxiliis adſtante ipſo ſummo Pontifice in tam erudito ſummorum virorum delectu ad intricatiſſimam ac difficillimam objectionem iſtam ventum eſt? tunc enimverò ſudare hominem *tentare* omnibus modis *ſolutionem & nunquam obtinere*, ubique quærere & nuſquàm invenire, *altitudine inacceſſibili veritatem iſtam occultam* clamare, *captivandum intellectum in obſequium fidei*, *humano ingenio incomprehenſam*, *ſola viſione divinæ Eſ-*

Digitized by Google

ſentiæ reſerandam difficultatem: atqui hoc eſt prædeterminationem *indefenſam deſeri* tunc ubi maximè defendi oportuit; quantum tunc de fama cauſæ tuæ apud eruditos Iudices detractum putas, cum difficillimæ objectioni, cujus vim omnes ſtatim capiant, nullum præter intempeſtivas exclamationes reſponſum dari optimè intelligerent? ubi tunc jactati toties inanes prædeterminationis triumphi? ubi jam animo deſtinatum, ſi credere fas eſt, ſummi Pontificis in Molinam ejuſque defenſores fulmen? quàm opportunè ſocio laboranti tunc temporis tanquam Deus è machina ſubitò adfuiſſet R. P. Labat cum ſua *objectionis difficillimæ clariſſima expoſitione*: at noſtris temporibus hæc laus debebatur: prodiit itaque nunc tandem expoſitio illa clariſſima, quæ propoſitum argumentum manifeſtè ſolvat: tuam quidem in docendo agnoſco authoritatem R. P. Patieris tamen pro tua humanitate, ut tibi ſtatim non aſſentiar, ſed tantiſper ſuſtineam aſſenſum, donec docentis authoritati, an ratio

ratio quoque ſuffragabitur, exploraverim: nam ut fatear quod res eſt, ſubit aliqua animum ſuſpicio ne quod fruſtra hactenus tentatum dixiſti, irrito pariter conatu tu tentaveris; quæſtio quippe intricatiſſima eſt, etiam te judice, ac difficillima, in qua ſolvenda viri eruditiſſimi jam à multis annis deſudarunt non pauci, nullo tamen operæ pretio, *à nemine ſiquidem fuit obtenta ſolutio*; & putabit ſtatim aliquis Patrem Labat vidiſſe (idque ſi homini credas) clariſſimè, quod Cabezudam latuit, ſolviſſe quod ſolvere non valuit Alvarez, *expoſuiſſe clariſſimè* quod Bannez, quod Ioan. à S. Thoma, quod Salmāticenſes, innumerique alij ingenio, & exercitatione toto Chriſtiano orbe celebres non niſi in ænigmate & in myſterio explicare potuerunt? Id verò quis ſibi ſuadeat, niſi ex Pythagoræ diſciplinâ aliquis, cui ſit ſumma ratio, *ipſe dixit*.

At quoniam in rebus præſertim difficillimis novam lucem privato doctori affulgere poſſe cauſabitur adverſariis, quæ cæteris quantumvis eruditis

Digitized by Google

non illuxerit, quæ ſæpe quædam ſortis potiùs quàm ingenij felicitas eſt, agnoſco libens rem ita ſe habere, neque enim tam infelicia eſſe duco noſtrorum temporum ingenia, aut tam iniquam nobis ſortem, ut nihil omninò per ſe invenire aliquis poſſit quod non fuerit ab aliis inventum priùs, iſtud tamen mihi nemo eripiet, jacuiſſe ex mente Patris Labat prædeterminationem phyſicam indefenſam, nec hactenus ſolutum fuiſſe propoſitum argumentum, cùm tamen ſi Thomiſtis credamus, triumphaverit ſemper, præſertim verò in ſolemni illâ diſputatione de Auxiliis, ubi triumphare maximi intererat: hinc quoque commodè accidit, ut Molinæ poſt hâc nemo invidiam creare meritò poſſit, quaſi inauditum aliquid ſibi arrogaverit, dum Scientiam Mediam non à ſe, ſed ab aliis, præſertim ab Auguſtino inventam, & à D. Thomâ non obſcurè traditam, ipſe explicatiùs tradiderit. Nam quidni Molina rei jam inventæ & traditæ novam lucem addere potuerit? Cum P. Labat ſolutionem ob-

Digitized by Google

jectionis difficillimæ ſæpe tentatam, & à nemine hactenus obtentam invenerit, eamque (ſi homini credas) clariſſimam; id tamen, ut fatear quod res eſt, inter vtrumque intereſt, quod P. Labat nomine tenus ſolutionis iſtius qualiſcumque author ſit, eam ſiquidem totam ex P. Cabrera, ut oſtendam, emendicatam accepit, nihil verò ſibi alter vendicat, quod ipſius eſſe non conſtet: quare primam illam tituli partem ſic ego interpretor, ut quâ aſſerit *ſolutionem difficultatis intricatiſsimæ à multis tentatam à nemine hactenus obtentam fuiſſe* veriſſima ſit, quâ autem promittit *clariſsimam eiuſdem difficultatis expoſitionem*, ſpem lectori prorſus inanem faciat.

Hinc verò ſi ad alterum quod complectitur, ubi decreto indifferenti ruinam minatur, gradum facio, parùm illi fidem adhibendam ſentio, donec aliquo examine diſcuſſum ratio ipſa per ſe aſſenſum noſtrũ aut extorqueat, aut certè impetret.

En, amice lector, brevem aliquam vel ex ipſâ unius tituli contemplatio-

Digitized by Google

ne, operis delineationem, in qua quid deinde ex *vltimo iſto Theologiæ complemento* ſperandum illi, quidve nobis timendum non vanus augur conjicias, ne tamen rem totam conjecturis videar conficere voluiſſe, ipſum opus in ſuas partes diſtributum breviter repreſento & examino, vt tandem æquus rerum æſtimator judicare poſſis, an titulo opus reſpondeat, an verò de inſcriptione tam magnificâ meritò vſurpes, quod Plinius in præfatione hiſtoriæ naturalis loquens de titulis quos Græci authores libris præfixerant ſuis, *inſcriptiones propter quas vadimonium deſeri poſsit, at cùm intraveris, Dii Deæque quam nihil in medio invenies.*

DISPVTATIONIS.

PARS PRIMA.

IN primâ operis ſui parte ſolvere nititur Author cuius ſcripta examino, argumentum difficillimum, ut ipſe

ait, quo prædeterminatio phyſica ab ijs impugnari ſolet, qui authore D. Thomà contrariam ſententiam tuentur, ſua igitur ut doctrinæ methodus conſtet, argumentum illud cum eâ quam adhibet ſolutione ſumma fide referam, tum quæ in eadem ſolutione reprehendenda videantur, ſigillatim perſequar, remque totam claritatis gratià, in varia capita diſtribuam.

CAPUT I.

Proponitur breviter argumentum difficillimum contra prædeterminationem phyſicam, & ſolutio adhibita ab adverſario, eaque ab alio mutuò accepta oſtenditur.

IAm antè celebre illud argumentum ex occaſione præmiſimus, iterumque hic breviter ſubjicimus, ut ſub uno aſpectu argumentum ejuſque ſolutionem lector habeat: ſic ergo illud proponit ipſe Author operis ſui, pag.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

12. *Ille non peccat qui non erumpit in actum ſupra præceptum cadentem, ad quem eliciendum caret auxilio ad illum neceſſario, & hoc ſine ſua culpa: atqui plures juſti & ſaltē Angeli & proto-parentes, dum contra præcepta ſibi à Deo impoſita primò peccarunt, caruerunt abſque ſua culpa auxilio & gratiâ ex ſe efficaci: ergo vel peccarunt abſque ſua culpa, quod eſt falſum & abſurdum, vel gratia ex ſe efficax non fuit ipſis ad eliciendum actum ſub præceptum cadentem neceſſaria. Maior colligitur ex Aug. minor vero probatur, cum primùm peccarunt Angeli & proto-parentes, nullum in illis præſupponebatur peccatum: quia primo peccato non datur prius: ergo ſine ſua culpa caruerunt auxilio ex ſe efficaci, vel gratia ex ſe efficax non fuit ipſis neceſſaria ad implendum præceptum.*

Hoc argementum ille ſic ſolvit, aut certè ſolviſſe credit: *conceſſâ maiori neganda eſt minor*, inquit, ad cujus probationem diſtinguit antecedens: cùm Angeli & Proto-parentes primò peccarunt contra præceptum negativum, nullum in illis præſupponeba-

Digitized by Google

tur peccatum: concedit; dum primò peccarunt contra præceptum affirmativum: ſubdiſtinguit: nullum præſupponebatur peccatum contra præceptum affirmativum, concedit; contra negativum, negat: ſupponit autem ad obſervandum præceptum negativum non requiri per ſe prædeterminationem: quia ſcilicet abſque vllo actu impletur. En, ſi Superis placet, clariſſimam ſolutionem objectionis intricatiſſimæ, ac difficillimæ, ſeu potiùs en ſeminarium inſolubilium difficultatum quas antequam proponam & explicando urgeam, juvat verum ſolutionis iſtius authorem inveſtigare: equidem novi ſic à P. Labat in medium proferri ut ipſe eam inveniſſe videri velit, quippe qui ſcribat, eam à multis quidem antea tentatam, à nemine tamen hactenus obtentam. Feliciter ergo ipſe invenit quod alios latuit, & obtinuit tandem quod fruſtra tentarunt alij. Quæ cùm ita ſint certum exploratumque eſt, ſi Patrem Labat audiamus, ipſum unum inventæ ſolutionis authorem eſſe, at verò ſi cum aliqua veniæ præ-

ſatione R. Patri de ſe loquenti fidem quis deneget; aut certè aſſenſum ſuſpendat donec primarios Thomiſtas conſulat, eorumque evolvat libros, tum enimverò aliunde derivatam tanquam rivum à fonte fluxiſſe certò deprehendet: is eſt P. Alphonſus Cabrera qui primis phyſicæ prædeterminationis defenſoribus audacior, quod illorum aliqui inſinuarunt duntaxat, iſte liberè explanavit; nam diſputatione 2. §. 11. n. 464. & ſequentibus docet *auxilium efficax ſupponere diſpoſitionem negativam voluntatis, quam diſpoſitionem ex ſe inchoat voluntas, neque eſt inconveniens inquit concedere ex naturali uſu libertatis negativæ pendere, quod homini detur phyſica prædeterminatio & efficax auxilium.* Qua ratione inferius ait auxilium efficax incipere à nobis diſpoſitivè, quia determinatio pendet ex libera diſpoſitione noſtræ voluntatis negativa, licet effectivè ſit à ſolo Deo: en ipſiſſimam Patris Labat Theologiam, ſiquidem uterque auxilium efficax dari vel negari docet, ex uſu prævio libertatis negativo

tivo

Digitized by Google

tivo, ad quem nulla requiritur prædeterminatio; in illo autem uſu negativo ſitam eſſe præcepti negativi obſervationem nemo non videt: habemus primarium ſolutionis authorem jam longè ante noſtra tempora ſcribentem, quare cùm à nemine hactenus obtentam propoſiti argumenti ſolutionem in ipſa libri ſui fronte majuſculis literis inſcribat R.P. Labat, ſequitur difficillimam objectionem nondum eſſe ſolutam, aut, quod unum ſupereſt, pugnantia loquutum eſſe Adverſariū, dum hinc nondum obtentam ſolutionem ait, illinc verò clariſſimam à ſe dari aſſerit, quam tamen jam anteà datam eſſe certum eſt.

Digitized by Google

CAPUT II.

Secum manifeſtè pugnat Adverſarius dum hinc prædeterminationem neceſſariam eſſe negat ad obſervationem præcepti negativi, illinc omiſſionem puram poſſibilem negat: imo etſi eam admitteret, ſecum tamen non conſentiret.

PRæmitto quod Adverſarius primo loco obſervat & propoſiti argumenti ſolutioni præſupponit tanquam fundamentum quo ruente ruat ſolutio : vult igitur ad obſervationem præcepti negativi non eſſe neceſſariam prædeterminationem, atque adeo peccare eum qui tale præceptum violat, quamvis careat prædeterminatione, quâ obſervetur : atqui R. Pater falſũ eſt non requiri prædeterminationem ad obſervandum præceptum negativum: ergo vana eſt iſta tua ſolutio: rem autem quam aſſumpſi ut probem.

Suppono duo, primum quæſtionẽ

Digitized by Google

eſſe de obſervatione præcepti liberâ, neque enim dici poteſt præceptum negativum obſervari aut violari neceſſariò, alioqui in eo violando non peccaretur. Alterum eſt communem inter Thomiſtas opinionem quam ipſe P. Labat ſequitur, pag. 7. obſervatione 4. eſſe, non dari puram omiſſionem liberam, quare ibidem docet omiſſionem liberam ac voluntariam quâ affirmativum præceptum tranſgredimur *nullam dari poſſe ſine aliquo actu qui ſit illius cauſa vel occaſio*, unde rurſus ſequitur eum qui peccando omittit amorem ſibi imperatum, elicere tunc actum aliquem poſitivum, eumque liberum qui ſit cauſa vel occaſio cur omittatur amor imperatus: quæ cum ita ſint, jam ſic argumentor. Prædeterminatio eſt neceſſaria ad actum poſitivum: atqui obſervatio libera præcepti negativi fit neceſſariò per actum poſitivum: ergo prædeterminatio eſt neceſſaria ad liberam obſervationem præcepti negativi: major eſt ipſamet doctrina Thomiſtarum, qui docent cauſas ſecundas indigere neceſſariò prædeter-

minatione phyſicâ ad producendos ſuos effectus : minor communis pariter eſt inter Thomiſtas eamque amplecti-tur & probat ipſemet P. Labat : con-ſequentia eſt legitima : ergo ſecum ip-ſe pugnat, & neceſſariam aſſerit præ-motionem ad obſervationẽ præcepti negativi, moxque negat ad id neceſſa-riam : id unum ergo ſupereſt ut ſolu-tionem aliam quærat Adverſarius, niſi prædeterminationem indefenſam de-ſerere malit. Rem totam confirmo ex doctrina ejuſdem authoris, ille ſiqui-dem pag 6. obſervatione 2. ſcribit ad implendum præceptum negativum præcisè & per ſe non requiri gratiam ſpecialem : *dixi per ſe*, inquit, *quia cùm gravis urget tentatio ad præceptum negativum, per furtum, v. g., violan-dum, tum ad hujuſmodi tentationi reſi-ſtendum, ſpecialis gratia ex ſe efficax neceſſaria eſt, non reſpectu præcepti ne-gativi præcisè per non actum obſervandi, ſed ratione affirmativi imperantis gravi tentationi reſiſtentiam per actum poſiti-vum.* Ex quo ſic arguo : implere in iſto caſu præceptum negativum eſt re-

Digitized by Google

ſiſtere gravi tentationi furti, nobis enim prohibetur ne aliquando aſſentiamur gravi tentationi, ergo eſt etiam neceſſaria ad implendum præceptum negativum. Nec vim argumenti effugies, ſi dicas gratiam ex ſe efficacem non requiri niſi per accidens ratione præcepti affirmativi: nam ſi per accidens ad implendum præceptum negativum neceſſaria ſit gratia ex ſe efficax, per accidens erit ut ſi careat tali auxilio non peccet violando præceptum negativum, ut qui ſibi præcidit pedes, per accidens excuſatur à curſu ad quem ex præcepto tenebatur: deinde cùm pura omiſſio libera ſit in ſententia iſtius Authoris impoſſibilis, implicat aliquem ſervare liberè præceptum negativum non furandi, v. g., niſi per actum poſitivum, ſive urgeat tentatio gravis ſive levis, ergo per ſe, hoc eſt, ſpectatâ rerum naturâ & modo agendi voluntatis noſtræ requiritur actus poſitivus ad implendum præceptum negativum atque adeo prædeterminatio, quâ ſi careat non peccabit furando, ſive illa prædeterminatio ſit ſpecialis

Digitized by Google

gratia ſive non: nemo quippe peccat omittendo actum ad quem eliciendum caret abſque ſuâ culpâ, auxilio ad illum eliciendum neceſſario: iterum itaque ſecum pugnat.

Verùm quoniam quæ hactenus dixi, ita allatam ſolutionem impugnant ut ex parte ſupponant cum Thomiſtis dari non poſſe puram omiſſionem liberam; operæ pretium eſt eandem evertere etiam independenter ab illâ opinione quam multi exiſtimant eſſe falſam, & contra mentem D. Thomæ: contendo itaque neceſſariam eſſe in ſcholâ Thomiſtarum, ſi ſibi quidem conſtare velint, prædeterminationem phyſicam ad ſervandum præceptum negativum, quamuis nullus in eo ſervando actus poſitivus intercedat, ſed per puram omiſſionẽ impleatur: quod ut oſtendam iterum moneo, quod anteà præmonui, quæſtionem hîc nobis eſſe de obſervatione liberâ præcepti: quâ ſuppoſitâ ſic procedit argumentũ.

Ideo juxta Thomiſtas admittenda eſt prædeterminatio phyſica, etiam in cauſis liberis, ut illarum indifferentia

determinetur ad alteram partem contradictionis, ipſi enim capere non poſſunt quomodo cauſa indifferens determinetur; niſi à Deo accipiat qualitatem illam determinatricem, quam propterea vocant prædeterminationem: atqui in voluntate ſecundùm ſe ſpectatâ, quando obſervat præceptum negativum, etiam per puram omiſſionem, eſt indifferentia ad utramque partem contradictionis: ergo requirit neceſſariò prædeterminationem, ut determinatè omiſſionem ponat potiùs quàm actum illi oppoſitum: deinde voluntas eſt verè cauſa talis omiſſionis, non tamen independenter à Deo: ergo Deus debet habere rationem cauſæ primæ, etiam reſpectu illius omiſſionis: atqui in ſchola Thomiſtarum ſalvari non poteſt ratio cauſæ primæ abſque prædeterminatione: ergo &c. Cùm igitur ex duplici illo capite Thomiſtæ neceſſariam putent prædeterminationem, certè aut caſtra ſua deſerant neceſſe eſt, aut illam admittant oportet, etiam quando voluntas exercet libertatem per puram omiſſionem;

cùm utraque illa ratio communis ſit, tum exercitio libertatis per actum poſitivum, tum per omiſſionem actus.

CAPUT III.

Quamvis neceſſaria non eſſet prædeterminatio ad obſervationem præcepti negativi, requireretur tamen carentia prædeterminationis ad oppoſitum.

QVamvis quæ hactenus dixi expeditam ſolutionem in doctrina Thomiſtarum minimè habeant, ſupponamus tamen illa omnia R. Patrem Labat cum *clariſsima expoſitione* ſuo more ſoluturum, vides quàm liberaliter cum Adverſario agam, cauſam tamen nequaquam obtinebit, adeo certum eſt labare undique ac diffluere illius ſolutionem: permitto itaque, non concedo, in ſchola Thomiſtarum ad exercitium libertatis per omiſſionem puram & liberam non requiri prædeterminationem: at ut libera ſit contendo

tendo neceſſarium eſſe carere prædeterminatione ad actum poſitivum illi oppoſitum: ita ad non furandum permitto non accerſendam eſſe prædeterminationem aliquam ſi ſolùm & *præciſè*, ut loquitur adverſarius, *ſpectetur præceptum negativum, quippe quod per non actum obſervari debet*: ſed procul nihilominus ableganda erit alia, quæ ad furtum voluntatem prædeterminet, libertati excidium certum allatura ſi adſit, quod ſic evinco.

Ille non peccat qui abſque ſuâ culpâ caret aliquo neceſſario ad obſervandum præceptum, atqui prædeterminatus ad furtum caret ſine ſuâ culpâ aliquo neceſſario ad obſervandum præceptum etiam negativum, quo videlicet prohibetur furtum: ergo non peccat qui non obſervat hujuſmodi præceptum. Majorem ab Auguſtini doctrinâ profectam agnoſcit Adverſarius, & illam concedit tanquam veram pag. 12. neque diſtinctioni locus eſt de præcepto affirmativo & negativo, quaſi verò ille non peccet qui violat præceptum affirmativum carens

abſque ſuâ culpâ auxilio neceſſario ad illud obſervandum, peccet autem qui violat præceptum negativum carens abſque ſuâ culpâ auxilio ad illud neceſſario: cur enim violatio præcepti negativi mihi crimini vertatur, potiùs quàm affirmativi, ſi abſque culpâ careo auxilio ad utrumque neceſſario? aut cur me à peccato violati præcepti affirmativi excuſet carentia inculpabilis auxilij ad illud obſervandum neceſſarij, non excuſet autem reſpectu præcepti negativi? præſertim cùm non aliter excuſet à peccato reſpectu primi, quâm quia careo inculpabiliter aliquo neceſſario: ergo ſi inculpabiliter careo aliquo neceſſario reſpectu alterius, perinde vacabit à culpâ utriuſque tranſgreſſio: & verò ipſe Adverſarius diſcrimen daturus inter præceptum affirmativum & negativum non aliud aſſignat præter iſtud, quòd ſcilicet, ad implendum præceptum negativum non ſit neceſſaria prædeterminatio, ſecus verò ad affirmativum, ideóque qui furatur non caret auxilio neceſſario ad præcepti negati-

Digitized by Google

vi obſervationem, ſed affirmativi, in pœnam videlicet peccati jam contra præceptum negativum præſuppoſiti: ſtet itaque illum non peccare contra præceptum negativum, qui violat tale præceptum carens abſque ſuâ culpâ auxilio ad id præcisè obſervandum neceſſario: ſupereſt igitur ut probem prædeterminatum ad furtum carere aliquo neceſſario ad non furandum, ſeu ad obſervandum præceptum negativum furti: quod aggredior.

Qui caret aliquo ſine quo implicat eum non furari, caret aliquo neceſſario ad non furandum: atqui prædeterminatus ad furtum caret aliquo ſine quo implicat non furari: ergo caret aliquo neceſſario ad non furandum; prima propoſitio eſt certa: neque enim aliter neceſſaria eſt prædeterminatio ad amorē v. g. quàm quia ſine illo implicat elici amorem: & verò quid magis neceſſarium ad non furandum fingi poteſt quàm id ſine quo implicat non eſſe furtum? pluribus rem non urgeo, quoniam ex his, quæ inferiùs ſubjiciam, ſatis ſuperque conſtabit: mino-

Digitized by Google

rem probo: prædeterminatus ad furtum caret remotione & abſentiâ ipſius prædeterminationis ad furtum, ut manifeſtum eſt: atqui remotio prædeterminationis ad furtum eſt aliquid ſine quo implicat eum non furari: nam quando eſt prædeterminatio ad furtum, eſt furtum: implicat ergo cum prædeterminatione ad furtum eſſe non furtum: ergo neceſſe eſt removeri ut ſit non furtum: atque ut facilè effugia omnia præcludantur, comparentur duo, hinc prædeterminatio ad amorem, quam ita neceſſariam eſſe ad amorem fatetur Adverſarius, ut qui abſque ſuâ culpâ caruerit hujuſmodi auxilio non ſit peccaturus violando præceptum: illinc verò carentia prædeterminationis ad furtum, quam ita neceſſariam eſſe contendo ad non furandum, ut qui ea prædeterminatione non caruerit, eum ego violati præcepti reum nequaquam futurum eſſe contendam, ſic autem comparationem inſtituo. Sine prædeterminatione ad amorem ſtat juxta Thomiſtas potentia ad amorem: ſimiliter cum præde

Digitized by Google

terminatione ad furtum ſtat potentia ad non furandum: rurſus cum negatione prædeterminationis ad amorem impoſſibile eſt conjungere amorem: ita cum prædeterminatione ad furtum impoſſibile eſt conjungi omiſſionem furti: iterum ut penes voluntatem non eſt advocare prædeterminationem quâ caret ad amorem, ita neqe eam removere quâ determinatur ad furtum: deinde ſicut cum prædeterminatione ad amorem ſtat in ſenſu compoſito potentia ad non amandum: ita cum prædeterminatione ad furtum, eſt in ſenſu diviſo facultas ad non furandum, non autem in ſenſu compoſito: denique nihil dici poteſt de prædeterminatione ad amorem, quo illius neceſſitas probetur talis ac tanta, ut ſi abſit à voluntate inculpabiliter omittatur amor ſine peccato, quod pari jure dici non poſſit de prædeterminatione ad furtum, ut illius carentia oſtendatur eſſe neceſſaria, adeo ut ſi præſens adſit citrà culpam, voluntas ſine peccato furari velit: ergo cùm aliunde peccato, quo primum violatur præ-

ceptum negativum non detur priùs, abſque meâ culpâ careo aliquo ad illud obſervandum neceſſariò, nempe abſentiâ prædeterminationis ad furtum; en igitur ut ubi clariſſima expoſitio, mera deprehendatur hallucinatio.

CAPVT IV.

Falsò docet violari non poſſe præceptum affirmativum niſi præceſſerit peccatum contra præceptum negativum.

VIdimus capite primo ſic ab Adverſario propoſitum argumentum ſolvi, ut illum quidem non peccare concedat, qui omittit actum imperatum ad quem eliciendum caret aliquo neceſſario idque abſque ſuâ culpâ, neget tamen ſic aliquando ſe habuiſſe ſimpliciter juſtos, Angelos, v. g. vel proto-parentes quando primò peccarũt, ideóque diſtinguendam eſſe

Digitized by Google

ait propoſitionem iſtam, *cùm primùm peccarunt Angeli nullum in illis præſupponebatur peccatum, quia primo non datur prius : ergo &c. cùm primùm peccarunt*, inquis, *contra præceptum negativum, nullum in illis præſupponebatur peccatum*; concedo; *dum primum peccarunt contra præceptum affirmatiuum* ſubdiſtinguit, *nullum præſupponebatur peccatum contra præceptum affirmativum*, concedit : *contra negativum* negat. Ego autem contendo violari poſſe præceptum affirmativum, ita ut nulla præſupponatur culpa contra præceptum negativum, unde ad diſtinctionē ſic ſubſumo : atqui dum primùm peccarunt Angeli, aut quivis alius contra præceptum affirmativum, nullum præſupponebatur peccatum contra præceptum negativum : ergo nulla illa Patris ſolutio. Propoſitionem quam aſſumpſi ut probem.

Suppono hominem juſtum qui à ſuſcepti baptiſmi tempore ne leviter quidem peccaverit, fac jam à baptiſmo recentem urgeri gravi tentatione ad furandum, cui ſtatim ſuccumbat

per actum, quo dicat *volo furari* : violat iſte in Theologia Patris Labat duplex præceptum affirmativum ſimul & negativum : certum tamen eſt utrumque violari per iſtum unicum actum, *volo furari* : negativum quidem ; quatenus ponit actum incompoſſibilem cum negatione furti ad quam obligatur : affirmativum verò, quatenus ponit actum incompoſſibilem cum actu, quo poſitive reſiſtere debuerat tentationi ; qualis eſt iſte, *nolo furari* : quod cùm ita ſit ; ſic argumentor. Ille non peccat juxta iſtum Authorem, qui violat præceptum affirmativum carens ſuâ culpâ auxilio ad illud ſervandum neceſſario : ſed is iſto caſu qui furatur violat præceptum affirmativum carens auxilio ad id neceſſario ; eoque caret abſque ſuâ culpâ : ergo &c. Minorem probo : nulla culpa præceſſit actum quo violat præceptum affirmativum, & quo dicit *volo furari* : ergo non poteſt denegari auxilium neceſſarium ad implendum præceptum affirmativum propter peccatum, quod iſte præſupponatur : antecedens patet : quia in

iſto

iſto caſu præceptum negativum violatur per eundem actum per quem violatur affirmativum, cùm utrumque violetur, ut dixi, actu quo voluntas dicit, *volo furari*: illo autem actu poſito, ut eſt violatio præcepti negativi, non eſt nova libertas ad violandum præcetum affirmativum. cùm jam hoc ipſo intelligatur violatum, quod poſitus eſt actus ille *volo furari*: quia non aliter violatur præceptum affirmativum quàm per actum, qui inducat omiſſionem rei imperatæ: res autem imperata hìc non poteſt eſſe niſi vel mera negatio actus, quo eligitur furtum, vel actus poſitivus, quo voluntas averſetur furtum: atqui actus quo dico, *volo furtum*, inducit omiſſionem, tum puræ illius negationis, tum poſitivæ iſtius averſionis: ergo per iſtam præcisè violatur utrumque præceptum: rurſus ſubſumo: atqui hujuſmodi actui nullum præſupponitur peccatum in homine juſto: ergo non poteſt illi denegari auxilium neceſſarium propter culpam præcedentem: ergo quærenda eſt iſti Authori altera ſolu-

tio, cùm falſo falſius ſit vio'ari non poſſe præceptum affirmatiuum, niſi præceſſerit peccatum contra præceptum negatiuum. Ac ne quis in exemplo de voluntate furti cavilletur, ac dicat præceptum quidem affirmativum violari non poſſe, quin priùs negativum violetur, ſed tamen, vice versâ, violari ſemper poſſe negativum abſque ullâ præcepti affirmativi tranſgreſſione, ſic reſpondenti occurro: nam ſi adeò ſagax & ſolers eſt P. Labat, ut in præcepto negativo, quo Deus Adamo prohibuit ne comederet de ligno ſcientiæ boni & mali, affirmativum etiam invenerit quod pariter violaret, pari quoque ſagacitate & ſolertiâ in præcepto negativo, quo prohibitum eſt ne quis furetur, affirmativam legem feliciter deteget: deinde quo tempore quis tenetur actum amoris elicere, vel audire ſacrum, poteſt occurrere furti occaſio incompoſſibilis cum ſacro: tunc autem ſi dicat, *volo furari*, manifeſtum eſt utrumque præceptum violari: pluribus ſuperſedeo, quoniam capite proximè ſequenti rem iterum attingo.

Digitized by Google

CAPUT V.

Fingit Author ſolutionis dum imaginatur diſpoſitionem negativam, ad quam infallibiliter ſequatur auxilium efficax.

NE ſibi ſenſus alienos doctrinamque non ſuam falsò tribui conqueratur Adverſarius, antequam figmentum illud diſpoſitionis negativæ, ad quam infallibiliter ſequatur auxilium prædeterminans à me rejiciatur; quæ ſit illius mens & ſententia paucis aperire neceſſum eſt.

Docet itaque R. P. peccare eum, qui præceptum affirmativum tranſgreditur etſi careat præmotione phyſica ad illud obſervandum neceſſaria, quoniam ad hujuſmodi præcepti affirmativi tranſgreſſionem præſupponi vult præcepti negativi tranſgreſſionẽ, quod ut quis obſervet præmotione nequaquam indigeat, cùm tale præceptũ ob-

ſervetur per non actum ſeu per nega-tionem actus,ad quam non putat ullam prædeterminationem eſſe neceſſariam: peccat itaque contra præceptum negativum, in hujus autem peccati pœnam juſto Dei judicio privatur præmotione ad obſervandum præceptum affirmativum neceſſariâ, ſed culpabiliter tamen illo auxilio neceſſario privatur; ideóque non eliciens actum imperatum peccat, quamvis auxilio ad eum eliciendum neceſſario careat, ſed ſuâ ut dixi ipſius culpâ. Hæc eſt germana iſtius Authoris ſententia pag. 12. & alibi: ex quo efficitur ut penes peccantem ſit donari prædeterminatione ad præcepti affirmativi obſervationem neceſſariâ; ſi autem culpa illius eſt quod eâ privetur, per ipſum ſtat illam habere, quomodo autem? quia videlicet penes ipſum eſt non violare præceptum negativum, quod quia ab ipſo violatur, denegat Deus præmotionem ulterius requiſitam, eandem infallibiliter daturus, ſi præceptum negativum peccator obſervaſſet; ſi enim præſuppoſitâ præcepti negativi obſer-

Digitized by Google

vatione denegaretur tamen prædeterminatio ad præceptum affirmativum obſervandum neceſſaria ; qui peccat ; careret auxilio neceſſario ad obſervationem præcepti , & quidem inculpabiliter , atque adeo non peccaret juxta iſtius etiam Authoris & omnium Theologorum principia : quare perſpicuum eſt obſervationem præcepti negativi , quæ in negatione actus poſita eſt , eſſe iuxta iſtum Authorem diſpoſitionem ad auxilium efficax ſeu prædeterminationem , ita ut ex negatione illâ actus ſequatur infallibiliter prædeterminatio ad præcepti affirmativi obſervationem neceſſaria ; neque enim aliud quæro aut Adverſario tribui velim , idque ipſum inter figmenta Theologiæ reponendum puto quod ſic conficio ,

Vel illa diſpoſitio negativa ; ſeu obſervatio præcepti negativi præcederet tempore prædeterminationem quæ ex illo infallibiliter ſequitur vel ratione aut naturâ : neutrum autem dici poteſt : non quidem primum ; cujus rei ratio eſt : quia nulla diſpoſitio negativa

temporis præcedentis poteſt eſſe talis, ut ad illam ſequatur infallibiliter auxilium efficax ad credendum *v.g.* vel amandum: poteſt ſiquidem qui per horam primam abſtinuit à peccato infidelitatis ad quam metu futuri ſupplicij impellebatur, deinceps initio horæ ſecundæ fidem à Tyranno interrogatus ejurare, idque contigit ſæpe, reſque eſt tam certa, ut nunquam Eccleſiæ annales legerit neceſſe ſit, qui hac de re dubitet: imò per horam primam non negativè modò, ſed poſitivè etiam bene diſpoſitus ad contritionem per actus ſupernaturales fidei, ſpei, & attritionis, non tamen continuo in fine horæ prædeterminabitur ad actum contritionis pro eo tempore neceſſarium: ſed interdum concupiſcentiæ motibus malè actus peccabit mortaliter, quantò autem magis ex iſta poſitivâ, quàm ex aliâ negativâ diſpoſitione ſequi dicenda foret præmotio. Et verò in quo fundatur iſta infallibilis conſecutio? non certè in rerum naturâ, quæ enim neceſſitudo inter negationem actus naturalem & auxilium

efficax ſupernaturale ? non etiam in aliqua Dei lege ; cùm nulla hujuſmodi extet : unde ſic rem urgeo : cùm poſitâ diſpoſitione negativâ per horam primam, ſuccedente jam horâ ſecundâ pendeat à voluntate divinâ, prædeterminationem immittere vel retinere, quid Deum neceſſitat ad illam de facto immittendam ? aut ſi neceſſitari neget quâ lege ſe obligavit ut id præſtaret ? ubi legitur, aut ex quo principio colligi poteſt : præſertim cùm error ſit jam à multis ſæculis in Pelagio damnatus, poſſe videlicet hominem per aliquid naturale, cujuſmodi eſt negatio furti *v.* g. ſe diſponere ad gratiam ; ſed iſtud inferiùs urgebo, quæ cùm ita ſint, dici nequit diſpoſitio iſta negativa ex quâ ſequatur infallibiliter præmotio tempore præcedere ipſam præmotionis infuſionē.

Alterum ergo ſupereſt ut ratione & naturâ præcedat, verum fingeret qui ſic rem imaginaretur, primò quidem ſi quis adultus à baptiſmo recens commodam furandi occaſionem nactus ſtatim erumpat in eum actum, ſ.

volo furari explicari niſi fingendo nequit quomodo priùs per illum actum peccetur contra præceptum negativum, quàm contra affirmativum, ut in pœnam violati ante præcepti negativi denegetur præmotio ad eliciendum actum quo dicat *volo furari*; ſimiliter ſi ſupponamus hominem illum officij memorem, ubi primùm ſentit ſe ad furandum moveri, erumpere in illum actum: *nolo furari*, inexplicabile eſt quomodo & quando ratione, & naturâ præceſſerit libera præcepti negativi obſervatio, imò manifeſtum eſt meram furti negationem poſterius ratione & naturâ ſubſequi actum illum, quo poſitivè dixi, *nolo furari*, nec diſſentit ipſe Pater Labat, cùm ipſemet doceat omiſſionem furti eſſe voluntariam in cauſâ, hoc eſt in actu qui liberè ponitur, & incompoſſibilis eſt cum furto, agnoſcit itaque negationem furti ſeu omiſſionem eſſe poſteriorem iſto actu, *nolo furari*, quomodo igitur prior, qui fit ut propter illam negationem detur præmotio ad actum qui illam antecedit? hæc ubi

inter

Digitized by Google

inter ſe conciliaverit P. Labat, cæteráque clariſſimè diluerit, tum ſolutionem ſuam per me licet appellet clariſſimam, ſed donec id præſtet, clariſſimum figmentum appellabo.

Secundò negatio furti non poteſt eſſe prior naturâ auxilio efficaci, quia prioritas naturæ eſt prioritas cauſalitatis, ut norunt omnes quibus rudimenta phyſices nondum excidere; quæ autem cauſalitas eſſe poteſt inter negationem furti v. g. & præmotionem ſupernaturalem? Et cum nec actus quidem poſitivus, ſed merè naturalis eſſe poſſit ad auxilium ſupernaturale ſufficiens, quâ lege negatio actus maſi diſponet ad auxilium efficax & ſupernaturale?

Tertiò ſint duo ad fidem eodem tempore & modo vocati, ita tamen ut unus Deo vocanti aſſentiat, alter verò, (quod fieri poſſe nemo negabit,) diſſentiat, certè is omnino fingeret, qui unum iſtorum prius naturâ in aſſenſum quàm alium in diſſenſum erupiſſe affirmaret, nullum ſiquidem eſt talis inter iſtos prioritatis fundamen-

G

Digitized by Google

tum : ſi ergo uterque conſideretur prius naturâ quàm eliciat actum aſenſus vel diſſenſus, uterque eſt æqualiter diſpoſitus negativè, cùm neuter pro illo priori intelligatur determinatus ad aſſenſum potiùs quàm ad diſſenſum, nec in illo ſigno rationis poteſt intelligi aliud genus diſpoſitionis negativæ, atqui ex iſta non ſequitur infallibiliter præmotio ad fidem, nam alter illorum credit, alius non credit, ut ſuppono : ergo &c. pluribus argumentum illud urget Suares in opere poſthumo de verâ intelligentiâ auxilij efficacis cap. 18.

CAPVT VI.

Quantum Pelagio faveat Adverſarius dum ex præviâ illâ diſpoſitione negativâ auxilium efficax ſeu prædeterminans dari aſſerit.

QVàm immeritò Pelagianiſmi notam ſententiæ noſtræ inurat

P. Labat, ſuo loco probaturus, an ipſe illius mali ſuſpicionem omnem in ſuâ Theologiâ effugiat, hic ego interim paucis expendam, quod antequam aggrediar.

Præmitto inter cæteros Pelagij errores hunc fuiſſe, quod opera bona & ſalutaria ſic à nobis eſſe exiſtimaret, ut diſcretionem inter duos æquali gratiâ præventos, quorum unus conſentiret & non alius, ad ipſos non ad Deum revocandam crederet, contra illud Pauli; *Quis te diſcernit?* quem unum ex multis Pelagij erroribus hîc profero (ut omnis de Pelagiana hæreſi, quæ fuerit, diſputandi inter nos præcidatur occaſio) cum illis ſiquidem hominibus mihi res eſt, qui ſententiam noſtram de gratiæ efficaciâ, ut Pelagianiſmi inſimulent nullum in nos frequentius telum intorquent, quàm illud Pauli, *Quis te diſcernit?* & eatenus nos cum Pelagio ſapere ingeminant, quatenus voluntati etiam gratiâ interiori excitatæ vim tribuimus, dependenter tamen ab eadem gratiâ ſe ad opus ſalutare determinandi: nam

hoc ipſo putant voluntatem ſe diſcernere ab eo qui pari gratiâ excitatus nihil tamen operatur, ideóque illud intonant, *quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti?* &c. continuoque apertam, ſi credere fas eſt, cum Pelagio conſenſionem nobis objiciunt. Non eſt animus millies profligatam objectionem hic iterum diluere, ſed quam potiori jure id totum Adverſario opponi poſſit inveſtigare.

Statuo itaque duos dari homines æquali gratiâ, primâ occaſione furti præventos, & juxta doctrinam Patris Labat, illorum unum ex negatione furti quam liberè ponit ſe diſponere ad prædeterminationem infallibiliter ſecuturam, quâ eliciat hunc actum *nolo furari*, alteri verò quoniam peccat contra præceptum furandi negativum, denegari gratiam prædeterminantem ad iſtum actum neceſſariam *nolo furari*; his autem ſic poſitis contendo, qui elicit actum quo dicit *nolo furari* ſe diſcernere, idque independenter ab ullâ gratiâ adjuvante, à ſocio qui ſimilem actum omit-

Digitized by Google

rit, & meritò gloriari poſſe adverſus ſocium, quod unum probandum ſuſcipio. Ille qui benè operatur ſe diſcernit à ſocio malè operante, in quem ultimò refundi debet ratio cur diſcernatur à ſocio: atqui in ſolam libertatem operantis ultimò refundi debet ratio cur diſcernatur à ſocio, ergo ipſe per ſuam libertatem ſe diſcernit: minor propoſitio, quæ ſola probatione indiget, probatur; ſciſcitanti cur è duobus illis unus præ alio operetur, ultimò reſponderi debet, quia ipſe per ſuam libertatem ſe negativè diſpoſuit, ergo ultimò in ipſum refunditur cur diſcernatur: probatur antecedens, ea ênumerando quæ videri poſſent ultima ratio diſcretionis unius ab alio: ſciſcitanti itaque quis te diſcernit reſponderi nequit, gratiam ſufficientem, cùm hæc utrique ſit communis operanti, & non operanti, nemo autem diſcernitur ab alio per illud præcisè quod habet commune cum illo: 2. reſponderi etiam non poteſt diſcerni per ipſam operationem ultimò, rurſus enim quæritur cur iſte opere-

Digitized by Google

tur & non alius?&. afferri nequit tanquam ultima ratio cur unus præ alio agat; quia unus accipit prædeterminationẽ & non alius: ſiquidem adhuc ſupereſt novæ quæſtioni locus, cur videlicet unus præ alio prædeterminationem accipiat? id autem ſciſcitanti ex mente Patris Labat reſpondendũ eſt ideò donari iſti prædeterminationem non alteri: quia iſte ſe negativè diſpoſuit obſervando præceptum negativum furti, ſeu omittendo furtum, (quod cùm fiat per non actum, neceſſariam fuiſſe negat ad talem effectum prædeterminationem) quare ſi rurſus urgendo quæras cur iſte præ alio furtum omiſit, ſicque ſe negativè diſpoſuit? Reſpondebitur, quia ipſe ex innatâ vi libertatis ſe ad negationem furti determinavit, non enim determinatur à gratiâ ſufficienti, alioquì uterque determinaretur cùm in utroque ſit, nec ab auxilio efficaci, quia iſtud ad præcepti negativi obſervationem non eſt neceſſarium, & ad hanc dari negat Adverſarius: denique illa furti omiſſio tota voluntatis

Digitized by Google

eſt citra ullum gratiæ influxum, aut cooperationem: cæterum ubi ventum eſt ad libertatem arbitrij tanquam ad cauſam omiſſionis furti, jam ceſſat omnis quæſtio nec interrogari poteſt aliud quod ad cauſam faciat.

Rem urgeo argumento, ut aiunt, ad hominem: ideo juxta Thomiſtas libertas in opinione noſtrâ, ſola ſe diſcernit, quia poſitâ gratiæ æqualitate in duobus, quod unus gratiæ reſiſtat non verò alter, pendet à libertate pro nutu ſuo ſe ſub gratiâ ad iſtam partem potiùs quàm ad aliam flectente, quamvis (quod nunc obſervandum) cooperatio noſtra à cooperatione gratiæ non diſtinguatur, nec aliquid noſtrum præcedat, aut aliquid habeamus, quod totum à Deo actualiter ac principaliter non recipiamus: atqui poſitâ eadem gratiæ æqualitate in duobus, quod unus ſub gratiâ omittat furtum pendet ab illius libertate ſe ad hoc motu ſuo determinante, neque enim à gratiâ, ut ſuperiùs dixi, determinatur: ergo ſola tunc libertas ſe diſcernit, quid, quæſo, re-

ponent ipſi, præſertim cùm omiſſio furti tota ſit à voluntate, nec ad eam gratia influat aut cooperetur.

Obſervatum autem hac in parte velim, quàm apertè ſe Adverſarius in eos laqueos injiciat, in quos Thomiſtæ nos conjectos dicunt: perpetuò ſiquidem objiciunt illi, gratiam à nobis fieri voluntatis pediſſequam, quoniam voluntati vim tribuimus ſe determinandi ad operationem ad quam gratia illam invitat, dependenter tamen ab eadem gratiâ actu influente & principaliter cooperante: at verò iſte Author non modò voluntatem ait ſe determinare ad omiſſionem furti, idque independenter ab omni gratiæ cooperatione, ſed ad illum libertatis uſum & determinationem ſubſequi vult gratiam, non qualemcumque, ſed efficacem & prædeterminantem: illa quippe negativa diſpoſitio quæ ex ſolo uſu libertatis eſt, præcedit prædeterminationem, quæ conſequenter ad hujuſmodi diſpoſitionem infallibiliter conceditur; ſi verò libertatis uſus præit gratiam prædeterminantem: ergo iſta ſubſequitur

ſubſequitur & pediſſequa eſt. O te igitur de gratiâ prædeterminante malè omninò meritum, qui dominatricem illam qualitatem voluntati noſtræ in omnibus præeuntem è ſolio miſeré deturbatam inter ejuſdem voluntatis pediſſequas detrudis! quâ te, quæſo, injuriâ laceſſivit? aut quid in illa jam deprehenſum, quo in ordinem redigi jubeatur? excuſationem fortaſſe obtendet; & gratiæ prædeterminanti injuriam fieri negabit, quoniam operationis negativæ pediſſequam non poſitivæ facit: quaſi verò incommodum, aut turpe ſit ſubſequi uſum libertatis poſitivum, qui negatiuo longè nobilior eſt, minimè verò negativum: atqui quando Concilia cum Aug. abſolutè pronuntiant gratiam non eſſe pediſſequam libertatis, per libertatem intelligunt actualem uſum libertatis, nihilque diſtinguunt inter uſum poſitivum & negativum; quis igitur audeat ita diſtinguere? præterea dum initium ſalutis aut boni operis à nobis non eſſe contra hæreticos oſtendimus, & cum D. Paulo hominem habere aliquid

negamus quod non acceperit, ut nemo glorietur, mens Apoſtoli fuit docere ſalutem noſtram, & bona opera Deo accepta referre, non fidere viribus noſtris quaſi in iſto ſalutis negotio poſſimus aliquid ex nobis tanquam ex nobis, atqui ſive negativâ diſpoſitione ſive poſitivâ ſalutem aut bonum opus voluntas ex ſe valeat inchoare perinde eſt ut meritò viribus noſtris fidamus, ut aliquid ex nobis tamquam ex nobis poſſimus, quamvis enim negatio, ſi ad metahyſicæ regulas res exigatur, non ſit aliquid phyſicum, nemo tamen non videt eſſe moraliter aliquid magni momenti & æſtimationis, cùm ex illâ negatione certò ſequatur ingens bonum, ſcilicet auxilium efficax, imò quis adeò deſipiat, qui non longè pluris æſtimet uſum libertatis negativum ex quo florentiſſimum imperium conſequatur, quàm poſitivum ex quo nihil accipiat? quis neget hominem quem Rex ditiſſimâ Provinciâ donaret, quoniam oblatâ ab hoſte pecuniâ, quâ ad defectionem invitabatur abſtinuiſſet, omiſſione illâ

ampliori fortunæ initium feciſſe? fuit tamen in abſtinendo præcisè non minùs quàm in non furando ceſſatio omnis actus: rurſus quis adeò in rebus humanis novus, ut neſciat quo tempore inter finitimos populos bellum ardet, ditiſſimas urbes interdum cum hoſte paciſci, & certâ pecuniarum ſummâ agrorum depopulationes redimere? rideretnr autem quiſquis diſputando contenderet nullam in milite cauſam præceſſiſſe cur darentur & gratis omninò ac liberaliter datas eſſe: quia ſcilicet propter omiſſam depopulationem: quæ mera negatio eſt, non verò propter obſequium aliquod poſitivum totæ quantæ, quantæ ſunt fuere conceſſæ: ô novum ſanæ liberalitatis genus! jam ex comparatione ſimillimâ ad gratiam gradum facio: datur infallibiliter auxilium efficax ex uſu libertatis negativo qui penes voluntatem eſt longè certiùs quàm penes militem agrorum depopulatio, & non gloriabitur voluntas aut initium melioris fortunæ illi denegabitur? fingit quiſquis rem ita imaginatur, & fingendo Pelagianiſmum non obſcurè incurrit.

Digitized by Google

CAPVT VII.

Data ab Adverſario ſolutio cum dogmate in multis iam prædamnato conſentit.

NEceſſitatem voluntatis noſtræ in operando, & ipſius operationis peccatum, quæ duo fides & ratio hactenus ab invicem disjuncta docuerãt, Calvinus cum Baio contra clariſſimum Aug. cujus ſe diſcipulos profitẽtur, effatum infeliciter conjunxit: nec verò quemquam, qui Catholicè ſentiat, morari debet contra ſentientium audacia; iis enim quorũ animis debita in ſedem apoſtolicam reverentia nondum exceſſit, plus quàm ſatis eſſe debet, ejuſdem ſedis jam ſæpiùs repetita vox damnãtis propoſitionẽ illam in Calvino: *nego*, inquit: cap. 2. de cognitione hominis, *peccatum ideò minùs debere imputari, quod neceſſarium eſt*. Idem Baius in propoſitione 67. à ſummis Pont. Pio V. Greg. XIII. & Vrbano VIII. damnata, quæ ſic habet: *homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit*: unde conſtat hanc iſtorum hominũ ſententiam fuiſ-

ſſe ut in eo homo peccet quod neceſſitatur ut faciat, vel omittat, contra receptiſſimum illud Aug. Oraculum: *nemo peccat in eo quod vitare non poteſt*; cujus doctrinæ tã acerbæ invidiam ut declinent ejus autores & aliquâ ex parte in ipſos peccatores derivent, docent ſufficere ad excuſandũ Deum ab omni crudelitatis & injuſtitiæ ſpecie, hominemque in peccatis arguendum, quod in pænam præcedentis peccati, vel originalis vel proprii peccatoribus ſubtrahatur gratia, quâ ſubtractâ neceſſariò peccant quotquot peccant. Duo itaque docet Calvinus, primũ quidem neceſſitatem non excuſare à peccato, alterum verò hanc peccandi neceſſitatẽ eum qui peccat incurrere ex ſubtractione gratiæ neceſſariæ in pænã præcedentis culpæ; *unde enim*, inquit ibid. *iſta quam cauſatur impotentia niſi ex naturæ vitioſitate? unde porro vitioſitas, niſi quod homo defecit à ſuo opifice? huius defectionis ſi merito rei tenentur univerſi homines, ne ſe nececeſſitate excuſatos putent, in quâ ipsâ luculentiſſimam habent dãnationis ſuæ cauſam.* Ex quibus clarè

colligimus Calvinum ſenſiſſe neceſſitatem à peccato minimè excuſare, quoniam peccato illam contraximus, privatione ſcilicet auxilii ad implendam legē neceſſarii, in pœnam culpæ à nobis antea cōmiſſæ: quæ duo ſi doceat adverſarius in ſolutione quam affert, homini religioſiſſimo purganda erit ſuſpicio conſentientis hac ſaltem parte (etſi quod certò perſuaſum habeo, præter & cōtra ipſius mentē (cum illius errore doctrinæ: rem itaque expēdamus, & quæ ſit P. Labat hac de re ſententia, paucis quærendo inveſtigemus.

Difficillimum, ut ipſe vocat, argumentum, contra prædeterminationis neceſſitatem proponitur quod à me ſuperiùs allatum, hîc breviter referendū puto: *ille non peccat iuxta Aug. qui non elicit actum imperatum, ad quem eliciendum caret abſque ſuâ culpâ auxilio neceſſario: atqui dum homo iuſtus primò peccat non eliciendo actum imperatum, caret abſque ſuâ culpâ auxilio neceſſario: nempe prædeterminatione: ergo*, &c. Autor quem impugno ut reſpondeat, conceſſâ ſimpliciter majori, non aliter

nodum illum ſolvit, quàm quia contendit, eum qui peccat, non eliciens actum ſibi imperatum; carere auxilio ad illum eliciendũ neceſſario ſuâ culpâ, in pænã videlicet præcedentis culpæ, non quidem contra præceptum affirmatiuum commiſſæ, ſed negativum.

Quæ cum ita ſint, manifeſta videtur cum Caluiniano dogmate conſenſio: primò admittit P. L. neceſſitatem omittendi rem præceptã, ſtare nihilominus cum peccato ejuſdẽ omiſſionis, quantũvis neceſſariæ: cum enim ſimpliciter concedat illum non peccare, qui non elicit actum imperatum, ad quem eliciendum caret abſque ſuâ culpâ auxilio neceſſario, & agnoſcat hanc eſſe ipſius Aug. ſententiã, certe aut vim verborum non ſatis penetrat, aut fateatur oportet, eum qui non elicit actum imperatum, carens inculpabiliter auxilio ad eum eliciendũ neceſſario, neceſſitari hoc ipſo ad non eliciẽdum: alioquin nulla poteſt afferri cauſa, cur iſte tunc non peccet, omittẽdo actũ imperatum, nec explicari veriſſima illa Aug. doctrina, quâ docet eũ non peccare, qui non elicit actum imperatum carens in-

culpabiliter aliquo neceſſario: fac, quæſo, aliquis Aug. quærendo interroget, quid ita res habeat? quid aliud ſciſcitanti putas reſponſurum, quàm quod toties dixit; quia nemo ſcilicet peccat in eo quod vitare non poteſt? Aug. mentem interpretentur ipſi Thom. & interpretando explicent, quomodo tunc ab illo homine non peccetur per talem omiſſionē, niſi quia hoc ipſo quod caret aliquo neceſſario ad eliciendū actū, hoc ipſo neceſſitatur ad omittendum actū, præſertim cùm cætera omnia adſint, ut ſupponimus, adeſt quippe indifferentia judicii, ratio vigil & attenta, gratia ſufficiens Thomiſt. & vna deeſt prædeterminatio ad ponendum actum neceſſaria, quam abeſſe ſuppono citra ullam culpā: tunc pronuntiat Aug. non peccari omittendo actum imperatum, id fatentur Thomiſtæ: cauſa quæ tunc excuſet non poteſt alia eſſe, niſi carentia inculpabilis auxilii neceſſarii: rurſus ſi quæratur cur hujuſmodi carentia excuſet? iſta duntaxat proferri poteſt; quia inducit neceſſitatem omittendi.

Rem confirmo: nam ſi tunc non ſit neceſſitas omittendi actum, peccaret

qui illum omitteret, contra id quod ſanxit Auguſtinus, & concedit adverſarius: ergo ideo non peccat: quia neceſſariò omittit: antecedens probatur: ſi non neceſſitatur, liberè omittit gratiâ ſufficienti abunde inſtructus, & cum plena rationis advetentia ad legem quæ actum præcipit: ergo peccat ſi omittit, gratis quippe aliud requireretur ad peccatum ſomitendo actum imperatum: hinc autem ſic ſubſumo: tunc peccareretur, ſi adeſſet libertas cum cæteris, quæ jam enumeravi: ergo ideo præciſè cenſet Auguſtinus tunc non peccari: quia permanente eodem rerum ſtatu quoad cætera, ſola præcisè libertas omitendi citra culpam tollitur. En ut ex doctrinâ Auguſtini quam in majori concedit, rectè infertur neceſſitatem cum peccato ab adverſario conjungi.

Idem parique vi confici poteſt ex diſtinctione quam affert alter us propoſitionis: non enim aliter defendit eum peccare, qui non elicit actum imperatum, putà actum amoris divini, carens auxilio ad id neceſſario,

nempe prædeterminatione, quàm quia caret tali auxilio propter culpam præcedentem: Supponit itaque non peccaturum, ſi præceptum illud violaret, carens hujuſmodi auxilio abſque culpa, ad quid enim recurreret ad auxilium denegatum in pœnam culpæ præcedentis, niſi exiſtimaret tentari quidem, ſed obtineri non poſſe ſolutionem argumenti, quod ſolvendum ſuſcepit, niſi recurratur ad auxilium denegatum in pœnam præcedentis culpæ? quare ſic hominem urgeo: ideo peccat per te qui omittit actum præceptũ, carens auxilio neceſſario; quia caret tali auxilio ob culpam præcedentem: ergo ſi careret eodem auxilio, nec tamen culpa aliqua præceſſiſſet, non peccaret omittendo actũ imperatum; quæro autem cur tunc non peccaret? hujuſce rei ratio alia reddi non poteſt, niſi quia neceſſario amorem omitteret: ex quo evidenter conficitur, quod maximè obſervatum velim, eum qui non habet prædeterminationem ad actum, non omittere liberè actum: atque adeò non habere

poteſtatem ad utrumque : vel certè prædeterminationem eſſe impedimentum cum libertate incompoſſibile : ergo prædeterminatio non dat tantum agere, quod volunt Thomiſtæ, ſed poſſe ſimul & agere quod volunt cæteri omnes, vel ſaltem eſt impedimentum libertatis.

Atque ut omnis evadendi præcludatur ſpes, occurro reſponſioni, quæ quamvis omninò gratuita ſit, afferri tamen poſſet deſperatione melioris : dicet igitur fortè aliquis voluntatem tum quidem non fore liberam ad amandum, cùm carebit inculpabiliter aliquo neceſſario ad amorem, ſecus verò ſi culpabiliter hujuſmodi auxilio careat : verùm qui rem ſic ſe habere contenderet, perinde faceret, ac qui eum negaret eſſe miſerum, quem abſque ullâ ipſius culpâ, omnibus fortunæ bonis aliquis ſpoliaſſet ; ſolùm autem illum pronunciaret miſerum, qui culpâ ſuâ in hanc vitæ miſeriam deveniſſet : ſimiliter etiam cum illo diſcurreret, qui obfirmatè tueretur eum eſſe liberum ad ambulandum, cui crura in

Digitized by Google

pœnam admiſſi ſceleris præciſa eſſent, non autem illum, qui caſu aliquo, ſed inculpabili, cruribus careret: quæ cùm non modò falſa, ſed etiam per ſe ridicula ſint, falſam quoque & ridiculam eſſe diſtinctionem allatam neceſſe eſt: ratio eſt manifeſta: ideò enim qui caret abſque ſuà culpâ aliquo neceſſario ad actum illum, neceſſariò omittit, quia hoc ipſo caret aliquo ad libertatem ita requiſito, ut eo ſublato perimatur libertas: ergo cùm libertatis natura ſit in eodem ſemper eadem, quoties iſtud tolletur, peribit libertas, ſive id in pœnam admiſſæ culpæ tollatur, ſive extra omnem omnem omninò culpam: ut quia rationale ad eſſentiam hominis pertinet, impoſſibile eſt illud tolli, & nihilominus perſtare hominem: conveniunt itaque inter ſe & qui ex culpâ, & qui citrà culpam carent aliquo neceſſario ad ſervandũ præceptum, quòd uterque neceſſariò præceptum violet, & neuter proximè & formaliter peccet in eâ tranſgreſſione: at differunt tamen, quoniam qui ex culpâ præcedenti caret tali

auxilio, peccat in causa & remotè.

Alterum Calvinianæ & Baianæ doctrinæ caput eſt, ideò tunc peccare hominem quamvis neceſſariò, quia poteſtate non peccandi juſto Dei judicio privatur in pœnam culpæ præcedentis: hâc etiam parte P. Labat dogmati jam in multis prædamnato videtur conſentire, neque enim aliter vim argumenti jam toties propoſiti effugere putat, quàm quia qui omittit amorem imperatum carens auxilio ad amandum neceſſario, hujuſmodi carentiam patitur in pœnam præcepti negativi priùs à ſe violati; ac ne quis doctrinam illam novitatis aut erroris inſimularet, D. Thomæ authoritate illam firmavit, protulitque luculentum ſancti Doctoris teſtimonium ex 2. 2. quæſt. 2. art. 5. ad 1. ubi hæc habet, *dicendum: ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratiâ reparante, ſicut ad diligendum Deum & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei, ſed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ,*

quod quidem auxilium quibuſcumque divinitus datur, miſericorditer datur, quibus autem non datur, ex iuſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, aut ſaltem originalis, ut Auguſtinus dicit lib. de Correp. & Gratia.

Locum illum adducunt quoque hi quibuſcum ſentit; quâ in re, vides, Lector, non modò in dogmate jam damnato conſenſionem, ſed etiam idem dogmatis firmamentum, omnes enim authoritatem D. Thom. errori ſuo prætendunt, eumque ut à ſe ſtare demonſtrent, eumdem ſancti Doctoris locum citant.

Abundè mihi eſſet initam Autoris iſtius cum illis hominibus hac in parte concordiam, quam unam probandam ſuſceperam oſtendiſſe: non committam tamen, ut ſanctus Thomas in patrocinium erroris ab utroque malè aſſumatur, ſed ab illius ſuſpicione eum breviter vindicabo, quod ut præſtem.

Suppono D. Thomam agere in eo loco de obligatione fidei explicitæ, ut conſtat ex titulo articuli, qui ſic habet: *utrum homo teneatur ad credendum aliquid explicitè*, aitque primo lo-

Digitized by Google

eo *videri quòd non teneatur ; quia nullus tenetur ad id, quod non eſt in eius poteſtate : dicitur enim Rom.* 1. *quomodo credent in illum quem non audierunt ? quomodo audient ſine prædicante? &c. Ergo credere aliquid explicitè homo non tenetur* : huic argumento reſpondet verbis ſuperiùs citatis : *dicendum quod ſi in hominis poteſtate dicatur, &c.*

Suppono, 2. Hanc D. Thomæ objectionem, cui ipſe S. Doctor reſpondet, dum ait, *dicendum quòd ſi in hominis poteſtate eſſe dicatur, &c.* Procedere de infidelibus, qui numquam aliquid de fide audiverunt, ac propterea credere non poſſunt : id conſtat ex ipsâ objectione, nam ut probet fidem non eſſe in poteſtate hominis, illud Apoſtoli affert : *quomodo credent in illum quem non audierunt ? quomodo audient ſine prædicante ?* Si autem ad illos miſſus eſſet, qui prædicaret, & quem audirent fidei myſteria proponentem, & ſuis præſidiis firmantem, malè D. Thom. ex illo Apoſtoli loco probaret fidem non eſſe in poteſtate illorum. His præmiſſis quærendum eſt an D.

Digitized by Google

Thom. doceat hujuſcemodi homines; qui de fide nihil audiverunt, ita nihilhominus, teneri ad credendum explicitè, ut non credendo peccent: hanc quæſtionem S. Doctor alio in loco ſic explicat, ut de ſuâ ipſius mente dubitandi locum non relinquat : nam q. 10. art. 1. ubi quærit, *an infidelitas ſit peccatum?* Reſpondet *infidelitatem dupliciter accipi; primò ſecundum puram negationem, ut dicatur infidelis ex hoc ſolo, quòd non habet fidem: deinde ſecundum contrarietatem ad fidem, quâ ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei...... & ſecundùm hoc infidelitas eſt peccatum: ſi autem accipiatur ſecundùm negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audiverunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ: quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis conſequuta eſt.*

Ex iſto loco manifeſtum eſt, 1. illorum infidelitatem non eſſe peccatum, qui nihil audiverunt de fide: iſta quippe infidelitas eſt mera negatio fidei; 2. ex eodem S.D. rationẽ, cur iſti tunc non peccent, quamvis non credant

eſſe

eſſe : quia vitari non poteſt hujuſmodi infidelitas, atque adeò neceſſaria eſt : nam docturus infidelitatem eſſe peccatum, ſibi illud Auguſtini objecerat: *præterea nullus peccat in eo quod vitare non poteſt : ſed non eſt in poteſtate hominis quòd vitet infidelitatem*, &c. reſpondet : *ad 2. dicendum : quod ratio illa procedit de infidelitate ſecundùm quod importat ſimplicem negationem* : ergo ex D. Th. infidelitas illa negativa non eſt peccatum, quia vitari non poteſt : ſed inquies, D. Th. quæſt. 2. a. 5. videtur apertè dicere hominem illum, qui nihil audiuit de fide : quoniam ad illum non eſt miſſus, qui prædicaret, teneri tamen ad credendum articulos fidei : ſi autem tenetur credere, nec tamen credat, peccat. R. teneri tantùm remotè, quatenùs lata eſt lex credendi univerſalis, ſed quæ cùm homini illi nondum ſit promulgata, quippe qui nihil de illâ audivit, illum ad credendum non obligat proximè & ſub peccato : fieri tamen poteſt ut in causâ ſæpiùs peccet, quòd impedimenta ad fidem ponat, morum

perverſitate, & profligatæ vitæ licentiâ; quo ſenſu dicit D. T. lib. 3 contra gentes peccare hominem in eo, quod vitare non poteſt :*nihilominus*, inquit, *hoc eis imputatur ad culpam:quia hic defectus* poteſtatis ſcilicet ſufficientis, *ex culpa præcedente in eis relinquitur : ſicut ebrius ab homicidio non excuſatur, quod per ebrietatem committit, quam ſua culpa incurrit* : atqui certum eſt homicidium per ebrietatem commiſſum non eſſe peccatum niſi in cauſa : ergo &c. quem locum ex lib. 3. contra gentes hic ex occaſione explicandũ duxi, quoniam ab heterodoxis ducitur, ut probent peccari etiam in eo quod vitari non poteſt : nemo enim qui Divi Th. doctrinam amet, & tantum Doctorem revereatur, ferre debet, ut in erroris patrocinium impunè aſſumatur, quæ res mihi ſuadet poſthac certò futurum, ut P. Labat, qui Divum Th. in primis colit, ejuſque ſenſus omnes juratus amplectitur, cautior factus illum inter fautores heterodoxorũ non adſcribat, ut nobis eripere poſſit. Enimverò quàm

Digitized by Google

turpe eſſet, ut dum alii ſanctum Doctorem ab his hominibus vindicant, aliquis inter Thomiſtas eumdem illis aſſereret.

Hânc autem Religioſiſſimo viro cum heterodoxis conſenſionem ſic tribuo, ut illius fidei integritatem nullâ ex parte in ſuſpicionem vocari velim: id dumtaxat mihi propoſitum fuit; ut oſtenderem illius ſolutionem præter & contrà hominis mentem dogmati in multis jam prædamnato conſentire.

CAPVT VIII.

Argumenta contra prædeterminationem proponi ſolita, quæ Adverſario ſolvenda eſſent, ut ſtaret data ab illo ſolutio.

OBjectionem quam ſibi diluendam propoſuerat P. Labat tam infeliciter ſolvit, ut novis inſuperabilibuſque difficultatibus quæſtionem impe-

Digitized by Google

diat, veteres autem, & communes nullis planè mitigationibus emolliat: ſi tamen homini credas, ſunt omnia jam in ſcholâ prædeterminantium plana, quæ quivis inoffenſo pede facilè decurrat, ac quaſi facilitatis tam novæ periculum aliquod facere vellet, unam præ ceteris attingit peccati permiſſionem, quam ſic explicat, ut ipſo Autore omnis in contrarium difficultas evaneſcat; ſed quoniam hominis iſtius triumphis nõdum ſatis aſſuevimus applaudere, juvat rei veritatem diligentiùs inveſtigare, ut re maturiùs diſcuſsâ, tutiùs de ſe loquenti credatur; non in unâ tamen peccati permiſſione examinandâ ſiſtam, ſed præcipua quædam argumenta, quibus impugnari ſolet præmotio phyſica in medium adducam, tum ut in unâ eâdemque diſputatione lector habeat, unde & ſuam tueri, & adverſariorum cauſam impugnare poſſit; tum etiam quoniam ſic quæſtio iſta comparata eſt, ut ſtare nequeat *clariſsima* Patris Labat *ſolutio*, niſi argumenta cæteris omnibus prædeterminantibus ſolven-

Digitized by Google

da ipſe quoque ſolvat *clariſsimè*; cum enim Deus ad furtum prædeterminet vel ad odium ſui, quo tempore urgebat amoris divini lex; quocumque tandem modo denegetur præmotio ad amorem divinum, explicandum Thomiſtis ſupereſt, quî fieri poſſit, ut Deus furtum abſolutè & efficaciter decernat; ac in tam ſtupendi decreti exequutionem, voluntatem ad furandum phyſicè prædeterminet, non tamen ſit autor, vel cauſa furti, ſed merè furtum permittat? quomodo cum huiuſmodi præmotionibus conciliari poſſit Tridentini authoritas? quo clypeo libertas contra virtutem illam prædeterminatricem, à lethali vulnere immunis eſſe poſſit &c.? quæ omnia quiſquis non clariſſimè quidem ſed tolerabili probabilitate ſolverit, is me judice de totâ prædeterminantium ſcholâ optimè meritus fuerit: ad rem aggredior. Sed claritatis gratiâ caput iſtud in plures articulos divido.

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

De permiſsione peccati.

PErmiſſionem peccati explicaturus Autor quem impugno, latè probat potentiam peccandi in creaturâ exiſtere, vel potiùs reſultare ex eo quòd non ſit ens à ſe, ſed ab alio ac ex nihilo, ideóque ex naturâ ſuâ defectibilis: tum pluribus probat non eſſe rem Deo indignam permittere peccatum, ac demum docet cum pleriſque aliis Thomiſtis Deum prædefinire decreto efficaci & abſoluto antequam prævideat quid creatura actura ſit, entitatem peccati præcisè ſub ratione entis, & ad illam prædeterminare non tamen ad malitiam, quacum nihilominus tam arctè conjuncta eſt, ut entitas illa in his circumſtantiis poſita ab eâ malitiâ ſeparari non poſſit. Rurſus negat Deum permittere peccatum ex vi decreti, quo ſola præcisè prædefi-

Digitized by Google

nitur entitas peccati, *ſiquidem*, inquit, *Deus non permittit malum hoc ipſo quòd præcisè prædefinit ea, quæ ſpectant ad eſſe in entitate peccati, ſed potiùs è regione opponitur ipſi malitiæ, quàm ullam ad ipſam exhibeat ut ſic conducentiam, permiſsionem aut occaſionem, tum, quia eſſe, ut eſſe adverſatur defectui, maximè ut eſt à prima causâ, tum quia illa prædefinitio prædeterminat bonum in actu peccaminoſo exiſtens, ne à malo penitus destruatur, eo ipſo quòd attingit actionem ipſam præcisè ſub ratione entis*, ac proinde *Deus non permittit malitiam ex vi præcisè talis prædeterminationis..... ſed potiùs opponit ipſi bonum, quod ſuſtentat, ne deinde ex defectu ipſi oppoſito ſuperveniente, & ſoli voluntati creatæ imputando corrumpatur ac pereat*,

Quare permiſſionem peccati provenire ait non præçisè ex prædefinitione entitatis peccati ut entitas eſt, *ſed ex ſuppoſitione, ac præviſione voluntatis noſtræ ut eſt ex nihilo ac defectibilis, cuius in illo actu Deus ut univerſalis proviſor patitur præviſam cooperationem defectibilem, & ſic permittit eius defe-*

Digitized by Google

ctum, quatenus prævidit ipſam cauſam ſecundam non niſi defectibiliter ex ſe ipſa operaturam: en ſententiam Autoris de permiſſione peccati ipſius ferè verbis expreſſam, quâ in re, non quidem cum D. T., ſed cum pleriſque Thomiſtis conſentit: quid in eâ doctrinâ reprehendendum videatur ac prorſus intolerabile paucis expedio.

Primò mirabile eſt, Deũ dum entitatem peccati prædefinit efficaciter & abſolutè in iis circumſtantiis in quibus à malitâ ſeparari non poteſt, quamque ipſe prævidet in voluntate defectibili ſequuturam, opponere ſe ſe malitiæ hujuſmodi: ô novum ſanè oppoſitionis genus! quando quis furatur *v. g*, tria Deus vult, 1 prohibitionem furti, 2 voluntatem & actionem furandi, 3. ut liberè ponatur actio illa & voluntas furti; ſed, quod ſummopere advertendum, illa tria vult & diſcernit efficaciter & abſolutè, antequam ullum libertatis creatæ uſum prævideat, atq̃ue ut obtineat, quod decrevit, prædeterminat voluntatem ad furandum, quæ voluntas neceſſariò malitiam

litiam habet ſibi conjunctam : unde ſic argumentor. Ille non opponit ſe malitiæ, qui liberè, efficaciter, & abſolutè antecedenter ad omnem uſum libertatis noſtræ vult aliquid, ex quo neceſſariò ſequitur malitia : atqui res ita ſe habet juxta Thomiſtas, quando Deus decernit furtum & ad illud prædeterminat : ergo Deus decernens furtum non ſe opponit malitiæ furti : minor continet germanam Thomiſtarum doctrinam, majorem ſenſus communis & naturæ lumen probant; quis enim non videt ac ſentit eum qui ſpontè ponit aliquid, quod cum alio ſcit eſſe neceſſariò conjunctum, non modò illud aliud non refugere, ſed interpretativè velle, ipſique imputandum eſſe : non aliâ ex causâ quotidie dicimus, eum ſibi mortem adciſcere, aut alteri, qui pugione vel ſe vel alium confodit; eum velle deſtructionem ligni, qui ligno ignem applicat; eum peccatum velle, qui liberè vult occaſionem proximam peccati, quod adeò verum eſt, ut qui libens & videns amplectitur occaſionem pro-

Digitized by Google

ximam furti, cenſeatur hoc ipſo peccare peccato furti, etſi à furto abſtinere poſſit, & aliquando abſtineat; quid ita? quia occaſio proxima furti eſt neceſſitate morali connexa cum furto; quantò magis igitur dicetur velle malitiam furti, qui volens & videns ponit aliquid ex quo inſuperabiliter ſcit ſequuturam malitiam furti? rideretur procul dubio, qui accenſam facem ſtupæ admoveret, & contentâ voce clamaret nihilominus: ego potenter me oppono deſtructioni ſtupæ, quia præcisè volo productionẽ ignis, quem validè ſuſtento; ne à ſuperveniente ſtupæ negatione corrumpatur ac pereat: atqui eodem planè modo ſe Deus opponit malitiæ furti, majori quippe neceſſitate ſequitur malitia ex actione liberâ furti, ad quam Deus voluntatem prædeterminat, & ex prohibitione furti, quam ipſe ſolus ponit, quàm deſtructio ſtupæ ex face accensâ ſtupæ admotâ, cùm in philoſophiâ receptiſſimâ poſſit abſolutè forma ignis in eodem ſubjecto conjungi cum formâ ligni: quæ cauſa igi-

Digitized by Google

tur eſt ut ſibilis omnium excipiendus foret is qui face ligno admotâ ingeminaret ſe nolle deſtructionem ligni, & validè ejus ſe negationi opponere, quamvis ex face admotâ ſequuturam neceſſariò prævideat ejuſdem ligni deſtructionem; non tamen ridendus ſit qui aſſerat Deum validè ſe malitiæ furti opponere, cùm tamen id ex quo neceſſariò ſequitur, ut ipſe novit, velit & ponat?

Deinde cæcutiat oportet quiſquis poſtquam animo ſtatuit ſe alterius conſiliis validè opponere, ſic tamen ad rem aggreditur, ut media ad id obtinendum eligat ineptiſſima: atqui ſic ſe in Deo res haberet: finge, quæſo, in mente divinâ ratum fixumque eſſe validè opponere ſe ſe graſſanti per humanum genus malitiæ furti, blaſphemiæ & cæterarum hujuſmodi peſtium: bene habet; ſed quod tandem Deus optimè medium eligis, ut res ex voto ſuccedat, & verè opponas te malitiæ furti, &c? nempe ſic ex mente Thomiſtarum Deum ſciſcitanti reſpondentem inducere poſſumus: *ego validè me*

Digitized by Google

opponam malitiæ peccati : quia entitatem peccati producendam ſtatui decreto efficaci & abſoluto, ac uſum libertatis omnem antecedente, hanc autem entitatem ſic volo, ſic decerno, ut impoſsibile ſit à peccati malitiâ ſeparari : hoc autem in ſcholâ Thomiſtarũ eſt Deum ſe opponere malitiæ; quæ ſi Theologia valeat, quidni dicetur poſthac Rex Galliæ Chriſtianiſſimus oppoſuiſſe ſe in Belgio & quidem validè expugnationi urbium Inſularum, Cortraci, Tornaci, &c. dicentur pati jure Calviniſtæ ſuperiori ſæculo validè ſe oppoſuiſſe Eccleſiarum expilationi, & propagationi hæreſeos.

Dicent fortaſſe rem in allatis exemplis longè aliter ſe habere ac in permiſſione peccati, ut enim in uno ſiſtam, ita Rex Chriſtianiſſimus ea expugnandis urbibus adhibuit, ex quibus ſequuturam urbium expugnationem ſapienter proſpiciebat, ut ipſam urbium expugnationem vellet : at verò Deus malitiam minimè vult : ſed quiſquis es, qui hoc reponis, dic amabo, an putas fore è ſapientum omnium numero unum, qui crederet, aut etiam

credere videri vellet Regem Chriſtianiſſimum Duaci expugnationi ſe ſtrenuè oppoſuiſſe, cùm ſic oppugnaverit ut ad deditionem venire urbi neceſſum fuerit, etſi deditionem ipſam noluiſſet? deinde qui peccat furando non ſe opponit malitiæ furti, malitiam tamen ipſam furti non vult: ſed actionem furti, quam malitiæ conjunctam novit: imò abhorret ab illâ malitiâ & ex illius horrore pugnantium cogitationum diſſidium conſcientia patitur, dum hinc voluptas futuri in furto lucri ad furandū allicit, illinc verò furti turpitudo & malitia à furādo retrahit, quod adeò manifeſtum eſt, ut prorſus deſipiat neceſſe ſit, qui hac de re dubitet: & nihilominus qui furatur non ſe opponit malitiæ furti, ſed illam promovet: quia liberè vult actionem furti, quam malam eſſe novit: atqui hanc etiam Deus vult: ergo non opponit ſe furti malitiæ, ſed eam promovet, & verò ſi Deus eam vellet promovere, quid conſilio ſuo accomodatiùs excogitare poſſet, quam decernere actionem furti in his circumſtantiis in qui-

bus videt malitiam ex illâ ſequuturam?
alterum quod pariter in hac doctrina
miror, eſt, quod docet, *Deum ſcilicet
prædefinire ac prædeterminare bonum in
actu peccamminoſo exiſtens, ne à malo
penitus deſtruatur*: næ tu Deum nobis
fingis meticuloſum, ſed metu, qui ne
in virum quidem qualicumque pru-
dentiâ præditum cadere poſſit; quid
enim quæſo periculi eſt, ne bonum in
actu peccaminoſo *exiſtens à malo, hoc
eſt à ſuperveniente malitia deſtruatur*,
cùm ipſa malitia furti à materiali pec-
cati ſeu ab actione furti profluat, non
vice versâ, nec primò exiſtat, aut un-
quam exiſtere poſſit malitia furti, niſi
exiſtat actio furti; cur itaque timere-
tur bonitati, quæ in actione furti re-
peritur, à malitiâ quam quodammo-
do ſuſtentat, ita ut impoſſibile ſit eſſe
malitiam furti & non eſſe actionem
furti cum tota illa bonitate quam ha-
bet à Deo? quare ſic arguo: ſi Deus
potenter ſubſtentaret bonitatem quæ
eſt in actione furti, ne deſtrueretur à
malitiâ ſuperveniente, maximè, quia
videret fieri poſſe, ut ſtante malitiâ

Digitized by Google

furti deſtrueretur actio furti aut boni-
tas illius: atqui impoſſibile eſt ſtante
malitiâ furti deſtrui actionem furti &
bonitatem illius, neque enim ſtare po-
teſt formale peccati ſine materiali, cui
ſupervenit: nec intelligi poteſt mali-
tia furti ſine aliquo actu cui tribuatur
talis malitia: ergo Deus non ſuſtentat
bonitatem, quæ eſt in actione furti,
ne deſtruatur à malitiâ ſuperveniente,
cum illa duo ſimul exiſtant, & bonitas
quam Deus ſuſtentat in actione furti
ſit inſeparabilis ab illa actione, & ma-
litia ex tali actione ſequatur. Deinde
juxta Thomiſtas vel illa malitia eſt ne-
gatio aliqua reſultans ex materiali pec-
cati, vel aliquid poſitivum ab illo pro-
fluens, ſi primum: huiuſmodi negatio
non poteſt deſtruere actionem furti,
cui ſupervenit, quia non eſt negatio
ipſius actionis furti, alioquin res &
rei negatio eſſent, cum ſimul exiſtat
actio furti, & ſit malitia illius: ſi 2,
coexiſtit illud, quodcumque ſit, cum
actione furti, & ab illo emanat, quo-
modo igitur pugnant? & pugnent li-
cet ac alterum alterius deſtructionem

Digitized by Google

exigat, occurrit ſtatim difficultas non facilè ſolvenda, quomodo ſcilicet Deus non ſit cauſa peccati cùm malitiam illius velit, & ad illam prædeterminet, ſi malitia in aliquo poſitivo conſiſtat: nihil quippe poſitivum eſt ad quod Deus non promoveat.

3. Quod in hac opinione videtur difficillimum, eſt hìnc ſequi Deum non modò permittere peccatum, ſed eſſe cauſam, & Autorem illius: id totum jam ferè conſtat ex his quæ ſuperiùs dixi, ubi probavi Deum non ſe opponere malitiæ peccati, iterumque urgeo.

Ille cauſa eſt peccati & malitiæ illius, qui vult aliquid ex quo neceſſariò ſequitur peccatum, ſeu malitia peccati: atqui Deus hoc vult: ergo, &c. Minor propoſitio eſt ipſa Thomiſtarum doctrina: nam Deus, quo tempore aliquis peccat furto, *v. g.* vult 1. prohibitionem furti, 2. actionem furti liberam, 3. prævidet ex illa neceſſariò ſequuturam furti malitiam, idque totum antecedenter ad omnem libertatis uſum: major quam ſolam revocare

poſſunt

Digitized by Google

poſſunt in dubium probatur: ſic enim quotquot ratiocinantur, putant eum velle peccatum, ut dixi, qui vult occaſionem proximam peccati; domus incendium, qui facem accenſam tecto admovet, &c. Sed ut res clarius cõſtet.

Suppono quod ſuperius attigi, ut aliquis dicatur & ſit cauſa peccati non requiri, ut velit ipſam malitiam: quis enim ita inſaniat, ut cùm amat furtum, aut necem inimico inferre cupit, malitiam ipſam furti, aut inferendæ necis velit? cùm perinde & fortunas ſuas augeat, & illatam ſibi injuriam ulciſcatur, ſive malitiam velit, ſive illam ſaltem ineſſicaciter averſetur, quo poſito ſic rem urgeo.

Ideò Petrus quando furatur, eſt cauſa peccati, quia vult aliquid liberè ex quo ſequitur neceſſariò peccatum ſeu malitia: atqui Deus hoc ipſum vult, & liberè decernit ut ſit; quamvis prævideat malitiam illinc ſequuturam: ergo eſt cauſa peccati: quæ argumentatio valet, ſive malitiam in aliquo negativo, ſive in aliquo poſitivo Thomiſtæ ſitam eſſe velint, quia pari ne-

ceſſitate negatio illa fluit, aut reſultat ex materiali peccati, quod Deus prædefinit, & ad quod prædeterminat, ac poſitiva illa qualitas per quam formale peccati alii conſtitutum malunt.

Confirmatur, 1. Qui alteri ſuadet rem quam ſcit eſſe malam, mendacium *v. g.* & ab alio niſi peccando proferri poſſe, eſt cauſa illius peccati quamtumvis ex bono fine ad id ſuadendum moveatur: ergo Deus prædefiniens actum mendacii cum prævisione malitiæ infallibiliter ſequuturæ, quocumque bono fine id faciat, erit cauſa illius peccati; Primam propoſitionem omnes concedent, & verò quoties à Theologis traditur quâ ratione quis alieni peccati particeps fieri poſſit, id in primis docent fieri ſuadendo, rogando, jubendo: ſupereſt itaque ut quod deducebam, illinc optimè deductum oſtendam, nempe Deum materiale peccati cum prævisione malitiæ neceſſariò ſequuturæ eſſe cauſam peccati: quod ut præſtem.

Obſerva aliquem impellere alium ad peccandum ſic ut dicatur & ſit cau-

ſa alieni peccati non eſſe tantùm ſuadere, vel jubere, rogare, vel conſulere rem malam, ſed cum iſta omnia ſint inter ſe admodum diverſa (aliter enim ſe habet qui rogat, aliter qui jubet, aliter qui ſuadet aut conſulit) & nihilominus hoc habeant inter ſe commune, utquocumque ex illis modo alium ad peccandum impellas, hoc ipſo dicaris cauſa peccati alieni, aſſignanda à nobis eſt ratio illa communis in qua conveniunt, quæque ſufficit ut aliquis ſit alteri cauſa & autor peccati; dico itaque rationem illam communem propter quam qui ſuadet, vel conſulit, aut jubet rem quam ſcit eſſe malam, eſt cauſa peccati, non eſſe aliam, quam ſcienter ac libere ita alium impellere ut verè dici poſſit inde ſequutum eſſe illius peccatum: neque enim neceſſe eſt ita impellere ut qui impellit, velit malitiam: ita herus qui famulo præcipit, ut vicino theſaurum expilet non intendit malitiam, quin etiam furtum illud ex bono fine imperare poteſt, ut ſublevet exempli causâ pauperum inopiam, famulo tamen eſt cauſa, & au-

tor peccati; rem igitur aliter ſi fieri poſſit, explicent oportet, aut fateantur neceſſe eſt eum eſſe cauſam peccati qui alium ſcienter ac libenter ita impellit, ut verè dici poſſit inde ſequutum eſſe illius peccatum: ita R. P. Annat, cap. 1. diſp. prima, de ſcientiâ mediâ: atqui Deus ſic impellit, nam actus noſtros malos materialiter ſumptos prædefinit, quippe qui vult efficaciter & antecedenter ad omnem uſum libertatis noſtræ, ut producantur liberè & in illis circumſtantiis, in quibus hujuſmodi actus ipſe prohibet: ex illo autem decreto prædefinienti tanquam ex primâ radice operationis prohibitæ ſequitur prædeterminatio ad operationem illam, & ex prædeterminatione operatio in his circumſtantiis, iterum dico, in quibus Deus ſcit non poſſe non eſſe malam: Quis ergo dubitet Deum ita impellere ſcienter & liberè, ut verè dici poſſit inde ſequi peccatum ad quod impellimur: quid quòd longè magis impellit, quàm qui ſuadet, aut rogat, aut jubet: nam ex decreto ſuo prævidet ſequuturum in-

Digitized by Google

fallibiliter actum quem decernit; At qui ſuadet, conjecturis tantùm prævidet futurum ut fiat ipſo autore, quod faciendum ſuadet; præterea rem quam decernit, efficacius vult quàm qui ſuadet, cum præter voluntatem quâ rem decernit medium aſſumat ad id invincibiliter obtinendum quod decernit, nempe prædeterminationẽ phyſicam, & verò qui ſuadet nihil plerumque aliud præſtat quam ſuadendo impellere: denique ſuadenti etiam in ſenſu compoſito reſiſti poteſt, & cum motione illâ conjungi negatio actus ad quem impellit, ſecus verò cum prædeterminatione, imò nec robur vllum ſuaſio habere poteſt niſi accedat à Deo prædeterminatio, quæ tamen ita divini juris eſt ut nec advocari, nec reiici à nobis poſſit.

Confirmatur 2. ſi Deus præciperet, vel conſuleret perjurium *v. g.* quamtumvis bono fine & materialiter ſumptum, hoc ipſo tamen quòd ſciret actionem illam liberè poſitam neceſſariò fore malam, eſſet cauſa & autor peccati illius: atqui ex iis quæ mox dixi

Digitized by Google

plus eſt prædefinire actionem illam perjurii, quàm illam ſuadere: ergo Deus erit autor illius.

Quæ hactenus dixi de permiſſione peccati pluribus urget R. Pater Annat diſputatione ſuperius citatâ, & aliqua diluit, quæ adverſarii reponere poſſent.

Dicunt enim aliqui Deum prædefinientem materiale peccati non eſſe cauſam peccati: quia nec ipſa prædefinitio, nec qui prædefinit malitiam ex peccato contrahit: ſed contra 1. nam cùm ipſe homo, qui peccat ideò præcisè contrahat malitiam quia vult actum quem in his circumſtantiis ſcit futurum neceſſariò malum, ſequitur Deum quoque peccaturum; cùm eumdem actum velit eo modo quo ſuperiùs dictum eſt: ſed, inquies, Deus non poteſt contrahere malitiam; fateor id quidem, ſed hinc probo longè procul à Deo amandandum eſſe decretum prædefiniens ac prædeterminans ne cogat admittere rem impoſſibilem, ſcilicet Deum peccaturum, ſi admittatur aliquid ex quo ſequatur

Digitized by Google

eum peccaturum; nunquid peccaret ſi ſuaderet, rogaret, aut juberet actum in his circumſtantiis, in quibus ſcit non poſſe eſſe niſi malum, quantumvis ſit impeccabilis? ut igitur negas Deum ſuadere peccatum, quia hoc ſemel admiſſo cogereris admittere aliquid impoſſibile, nempe Deum peccaturum, ſic neganda eſt prædefinitio peccati, qualem Thomiſtæ admittunt ne Deum peccati reum fateri teneantur.

Contrà 2. Quia non contendo Deum peccaturum, ſed fore cauſam peccati alieni, & autorem: quæ duo diverſa ſunt; quidni enim poſſit aliquis alterum ad peccatum ſic impellere, ut cauſa & autor ſit illius peccati, nullam tamen inde malitiam ipſe contrahat, ſicut autor boni operis eſſe poteſt, qui ex bono illo opere nullam bonitatem contrahit, ut ſi alium ad vitæ religioſæ ſtatum quis impelleret ſpe futuræ hæreditatis? quidni contingere poſſit, ut ex errore aliquis ſibi licere putet alteri ſuadere mendacium ob finem aliquem bonum, quamvis intelligat

illum alterum mentiendo peccaturum? diceretur nihilominus autor mendacii alieni, ſed innoxius.

Dicunt alii malitiam cùm ſit defectus non dicere, ordinem ad cauſam primam prædefinientem, ſed ad ſecundam tantùm, eamque defectibilem, ideóque Deum non eſſe cauſam peccati: ſed contrà quia hoc non eſt neceſſarium: nam Deus eſt homini cauſa & autor actus vitalis, viſionis *v.g.* volitionis, &c. Et tamen vitalis actus hominis non dicitur vitalis per ordinem ad Deum, neque enim Deus vivit per noſtros actus, nec videt per viſionem, nec per intellectionem noſtram intelligit: ſed quia eſt prima cauſa cur ſequatur actus (intelligo non malum) qui eſt homini vitalis, eumque conſtituit videntem, intelligentem, & ideo dicitur cauſa & autor huiuſmodi actuum; Cur ergo ſi ſit etiam cauſa cur ſequatur actus, qui hominem peccatorem conſtituit, non dicetur homini cauſa & autor peccati, quamvis non magis Deus per illum actū peccet, quam per viſionem meam

vivat

Digitized by Google

vivat, aut videat? hæc pluribus P. Annat, ibid. n. 89. ex quo iſtud ferè ad verbum decerpſi.

Hinc quod puto, facile intelliget eruditus lector, an in explicandâ peccati permiſſione Thomiſtis plana ſint omnia? pauca tamen attexam, quæ ex eadem Theologià neceſſariò deduci multis videntur, quæque ſi clarè explicent, acerbitatem decreti actus malos prædefinientis, ac prædeterminantis haud mediocriter mitigabũnt.

Primùm itaque ſi Deus prædefiniat actus malos eo modo, quo ipſi docent, ſequitur decretum illud prædefiniens, & prædeterminationem vi illius datam eſſe tentationis genus omnium peſſimum: tentationem voco illud omne, quo ad malum impellimur, quare cùm per decretum prædefiniens & prædeterminans, ita nos Deus impellat ad actum malum, ut ex illo ineluctabiliter ſequatur, non immeritò videtur tentationis nomine à nobis donari: an autem peſſimum tentationis genus appellari debeat, comparatione factâ inter cæteras tentationes, & præde-

terminationem res eſt explorandi; ſumo itaque exempli causâ homicidium, ad quod perpetrandum variis tentationum generibus quivis impelli poteſt, putà ex amore vindictæ, ex invidiâ, ex ſpe potiundæ hæreditatis, &c. Vel ex prædeterminatione physicâ: nam ex doctrinâ Thomiſtarum Deus homicidas omnes prædefinit & prædeterminat ad homicidium in iis circumſtantiis, in quibus videt non poſſe eſſe niſi malum: quo poſito duo ſunt in tentatione; primò quidem quòd hominem plerumque occupet, & præveniat nihil hac de re, de homicidio *v. g.* cogitantem; ſecundò quòd impellat ad malum: quæ duo ſi demonſtravero in prædefinitione & prædeterminatione longè potiori jure reperiri, genus omnium tentationum peſſimum eſſe evicero.

Quod igitur ad primum pertinet, etſi acceptæ injuriæ recordatio, & vindictæ amor indeliberatus hominem ſubitò occupare poſſint, non ita tamen hujuſmodi motus animo inſident, ut abiici non poſſint; ſiquidem poteſt qui

his percellitur aliò mentem divertere, imò ſi aliis rebus intendat animum diligenter, viam plerumque omnem hujuſmodi cogitationibus occludet: at prædeterminationi obviam ire, ne immittatur nemo poteſt, nec immiſſam reiicere, idque totum ex doctrinâ prædeterminantium: ergo hac ſaltem parte formidanda cuique eſt magis prædeterminatio ad homicidium, quàm quævis alia tentatio ad idem homicidium.

Quod ad alterum pertinet in tentatione formidandum, longè potiori iure in prædeterminatione quivis formidet: impellit quidem ad malum omnis alia tentatio, ſed ſic tamen, ut qui tentatur, conjungere poſſit diſſenſum cum tentatione ad aſſenſum, ita ut illa duo ſtare poſſint ſimul in uno eodemque homine, cogitatio videlicet impellens ad homicidium, & negatio homicidii: cum è contrario impoſſibile ſit aliquem prædeterminari ad homicidium, & ſtante illâ prædeterminatione non eſſe homicidium: longè igitur periculoſiùs tentamur per præ-

Digitized by Google

determinationem, quàm per quamvis aliam tentationem: ac ne quis ſuperſit dubitandi locus, ſe quiſque adeat, & ſecum deliberet, quo tandem genere tentationis mallet ipſe percelli, ſi alterutrum ſibi eligendum foret? rem ponamus in exemplo: ſunt quos interdum ad fidem negandam hæretici omnibus artibus impellunt: ſunt quos inopinata fortunarum jactura, aut ipſius mortis metus, vel alia cauſa ad mortem ſibi inferendam movent, &c. Se igitur quiſque conſulat, & propoſito ſibi malo, quod maximè abhorreat, quo tentationis genere mallet ad illud impelli, inquirat: ſi prædeterminationem eligat eàque malit ad fidem negandam impelli, quàm alio tentationis genere, fidem infallibiliter negabit: ſi quovis alio modo tentetur, periculum quidem aliquod fidei amittendæ adibit, ſed quod plerumque ſuperabit: eſt enim hujuſmodi, ut cum illo ſtare poſſit legis obſervantia in ſenſu compoſito, ſecus verò præmotio: quis ergo, ſi iſta duo inter ſe compararet, non malit ad flagi-

Digitized by Google

tium aliquod ſuaſionibus, & quibuſlibet internis motionibus impelli quàm prædeterminatione? ergo prædeterminatio eſt peſſimum tentationis genus.

Secundò ex eodem decreto prædefinienti & prædeterminanti ſequitur, quæ graviſſima ab omnibus reputantur crimina, eſſe nobiliſſimos virtutis actus: id ego aliter probare nolim, quàm ab eruditiſſimo Thomiſtâ probatum eſt: is eſt Ioannes Gonçalez de Albelda, Ordinis Prædicatorum, & inComplutenſi Academiâ ſacræ Theologiæ primario Profeſſore, qui diſp. 59. q. 19. art. 8. ſect. 2. latè probat Deum nec prædefinire; nec prædeterminare voluntatem ad actum peccati, & expreſſam eſſe aſſerit ſententiam Divi Thom. & diſcipulorum eius contra quoſdam Thomiſtas quos citat; plura ille argumenta congerit, quibus opinionem ſuam& noſtram validè adſtruit, & confirmat, pauca illinc inſtituto meo profutura decerpam: ait itaque, ſi Deus, prædefiniret actum peccati eo modo quo explicuimus, *homo dum*

Digitized by Google

peccatis ſe cōformaret motioni divina, &c.
Quare ſic argumentari poſſuſumus: ſumma virtutis eſt ſe conformare voluntati divinæ & illius motioni, ideóque petimus ipſo Deo autore, *fiat voluntas tua*; cujus rei ratio videtur eſſe manifeſta: nam cùm Dei natura infinita ſit bonitas, ac ſanctitas item infinita; nec poſt demiſſum baptiſmo, aut perfectâ pœnitentiâ peccatum, in nobis aliquid videat, quo ad iram provocetur, ſi tunc abſolutè velit ut à nobis aliquid fiat, & antecedenter ad omnem prævíſum libertatis uſum, hæc illius voluntas non modò per ſe ſancta eſt, ſed etiam procul dubio nobis bona, par enim eſt cum Apoſtolo ſentire de Deo in bonitate: denique quæ potior regula creaturæ ut aliquid velit aut nolit, quàm ipſa volũtas Dei, ut cum Chriſto pro ſua tenuitate gloriari poſſit: *ego facio voluntatem eius qui miſit me Patris?* hinc enimverò fluxit, ut in diſciplinâ Chriſtianâ hæc maximè cōmendetur voluntatis noſtræ cum divinâ conformitas perpetua: ſtet itaque nobiliſſimum eſſe virtutis actum

conformare ſe voluntati divinæ.

Atqui qui peccant, quatumvis graviſſimè peccent, ſe conformant hoc ipſo voluntati divinæ: ergo dum peccant, exercent actum virtutis nobiliſſimum: minorem probo; ſe conformare voluntati Divinæ eſt velle efficaciter & abſolutè quod Deus vult, & eo modo, quo vult: atqui qui peccat furando *v. g.* vult actionem, furti quam Deus priùs voluit, & nunc etiam vult: præterea eo modo, quo Deus vult, nempe in eâdem intenſione, iiſdemque circumſtantiis, cum plenâ rationis advertentiâ, & libertate voluntatis tali, ut neceſſariò mala futura ſit actio furti, &c. ergo perfecta eſt conformitas.

Hinc rurſus tertiò ſequitur peccare nos è contrario per eamdem voluntatis noſtræ cum divinâ conformitatem, adeò ut ſciſcitanti cur peccaverint reprobi, & æternùm damnati ſint, reſpondendum ſit juxta doctrinam Thomiſtarum, peccaſſe & damnatos eſſe: quia quod Deus antecedenter ad omnem illorum libertatis uſum efficaciter

Digitized by Google

& abſolutè voluit ut facerent vel omitterent, ipſi pariter à Deo prædeterminati voluerunt: & hoc docuerit D. Thomas?

Dicent quod ſuperiùs ab illis dictum vidimus, Deum velle dumtaxat actum malum,non verò malitiam,quam averſatur, & graviſſimis pœnis prohibet: verùm jam ſuprà diximus, nec hominem ipſum, qui peccat velle malitiam aliter quàm Deus velit; quòd verò aiunt à Deo prohiberi actum malum, aut certè malitiam illius: fateor equidem, ſed contendo voluntatem actus mali efficacem & antecedentem omnem libertatis vſum ſtare non poſſe cum prohibitione ejuſdem actus: quis enim tam peritus artifex,qui iſta duo inter ſe conjungat? primò ut Deus efficaciter velit actionem furti *v. g.* liberam in his circumſtantiis in quibus à creaturâ defectibili poni nequit niſi defectibiliter, & cum malitiâ. ſecundò ut eamdem actionem prohibeat, aut ſaltem malitiam illi neceſſariò conjunctam, ac propterea eam nolit, cum tamen ultrò ponat id ex

quo

quo neceſſariò ſequitur : præterea non ſolam malitiam Deus prohibet, ſed etiam actionem malitiæ ſubſtratam : imò lex loquitur de ſolâ actione, *non furaberis*, *non occides*, *&c.* Ergo illam vult efficaciter, idemque non vult cum illam prohibeat : quæ quomodo in Deum cadere poſſint quis ſatis explicet?

Ad hæc non committam, ut quod ab aliis diligenter expenditur, tacitus prætcream, qualem videlicet Deum nobis videantur effingere, qui ab illo prædefiniri actum docent, quem tamen prohibet, idque non aliis verbis, quàm R. Patris Annat, quem reffutaſſe videri uult, ſed quem ne leviter quidem ſtringit autor complementi : fac igitur Deus prædefiniat actus malos, quos prohibet, ſequitur unâ manu impellere, aliâ retrahere, impedire occultâ voluntate, quod apertâ exigit, prædefinire ut ea fiant, quæ implicat fieri, niſi fiant etiam ea quæ prohibet; & quæ ſi fierent decreverat flammis perſequi. Sume enim quocumque voles modo malum Angeli actum mate-

Digitized by Google

rialiter aut formaliter ; ſume, inquam, quod eſt in tali actu prædefinitum à Deo, ſume etiam quod eſt ab eodem prohibitum, & ediſſere nobis ecquâ ratione fieri poſſit id quod eſt prædefinitum, quin fiat id quod eſt prohibitum? & quia hoc præſtare non potes, vide cujus Dei ſit illa ſpecies, qui dicit Angelo : nolo ut illum actum elicias, & ſi elicueris æterna damnatio te manet : apud ſe verò dicit, volo ut illum actum eliciat libere, atque in illis circumſtantiis in quibus implicat non eſſe damnabilem : & hoc efficaciter volo, & omnipotenti voluntate, cui nolo ut reſiſtat Angelus. *Venite*, inquit ad peccatores, *omnes qui laboratis*, &c. Apud ſe verò, nolo ut veniant, ideoque negare ſtatui præmotionem ad veniendum neceſſariam, & aliam immittere, quâ infallibiliter maneant in peccato. Ecquis in faciem non reſiſtat iſti Deo dicenti, *perditio tua ex te, ex me autem tantummodò auxilium tuum?* num ab eo prædefinitus eſt actus, quo perditus ſum? & illa prædefinitio auxilium fuit ad non ca-

Digitized by Google

dendum, ut jactare poſſit iſte Deus *ex me autem tantummodo auxilium tuum?* Sed quam inſtantiam habet Dæmon ut convincat dicentem ſe nihil odiſſe eorum quæ fecerit! illum videlicet amabat hic Deus, cum prædefiniret actum, quem ſciebat eſſe nexu indiſſolubili cum eius damnatione colligatum? &c. Et putant Thomiſtæ injurium eſſe D. Thomæ quiſquis illum hujus ſententiæ autorem negaverit? Abſit ut talem nobis Deum S. D. effinxerit.

Sentio me longiùs diſputando progreſſum, quàm mihi propoſuiſſem: claudo itaque articulum iſtum; atque ut ubi cœpit, ibi quoque deſinat quæſtio; tantum abeſt, ut Deus per decretum prædefiniens ſe opponat malitiæ actus mali, ut ſit cauſa & autor illius, nihilque magis timendum homini juſto, quàm ut Deus ipſi in peccando ſic ſe opponat, nihilque optandum magis, quàm ut non ſe opponat: ſalutariter quoque Deum precabitur, qui precando à Deo impetrabit, ut ſaluti animæ ſuæ validè ſe opponat, hoc

eſt decernat aliquid ex quo ſequatur infallibiliter & neceſſariò ſalus animæ: nouum iſtud oppoſitionis genus prædeterminantium Scholæ debet Theologia.

ARTICVLVS II.

An prædeterminatio libertatem perficiat an verò deſtruat.

QVI præmotionem phyſicam tuentur nihil habent in ore frequentiùs quàm ab illâ perfici voluntatis noſtræ libertatem, cum ex adverſo ab eâdem certò perimi cõtendant, qui cum D. Thom. motiones illas prædeterminatrices reiiciunt; quæ duo cum ſint inter ſe maximè oppoſita, operæ pretium eſt præcipuam illam in hac controverſia difficultatem brevi ſaltem compendio pertractare, ne quod in primis inter nos controvertitur, in hac diſputatione aliquis deſideret: quare.

Digitized by Google

Supponendum eſt primò etſi libertatis noſtræ jura Deus conſtanter ſervet illæſa, poſſe tamen illum, ſi vellet, ſic voluntatem noſtram ad agendum impellere ut nulla operationis illius libertas reliqua foret: quærendum itaque eſt an prædeterminatio qualem voluntati à Deo immitti volunt adverſarii ſit hujuſmodi ut de facto libertatem perimat.

2. Supponenda ſunt duo in quibus convenimus omnes: primum eſt, neceſſitatem conſequentē non pugnare cum libertate, quippe quā ipſa libertas facit: ita neceſſe eſt me velle aliquid, ſi illud velim; neque enim poteſt eſſe volitio, & ſimul negatio volitionis, verùm, quia liberè hujuſmodi volitionem pono quacum impoſſibile eſt conjungi ejuſdem volitionis negationem, neceſſitor ad non volendum neceſſitate, quam ipſa libertas facit, quæ proptereà non repugnat libertati, cujus uſum conſequitur & ſupponit, ideóque dicitur neceſſitas conſequens, vel ex ſuppoſitione: alterum in quo convenimus eſt, neceſſitatem aliquam an-

Digitized by Google

tecedentem pugnare cum libertate: cæterùm neceſſitatem antecedentem vocamus illam, quam libertas non facit, ſed patitur, ſequiturque ex aliquo antecedente uſum libertatis, & ab illo independente: ita neceſſitas amoris beatifici eſt antecedens, cauſam ſiquidem habet antecedentem uſum libertatis in amando, amore beatifico, & datur independenter à libertate, cùm nec eam accerſere, nec rejicere poſſit: hactenus una ferè omnium vox, unaque ſententia: ſed ecce ingeniorum diſſidium: namque illi dicunt duplicem eſſe neceſſitatem antecedentem, quarum unam libertatis peremptricem eſſe concedunt, alteram verò illi minimè adverſam docent: quod quàm gratuitum, quàm falſum ſit primo loco oſtendam.

Sic igitur ſtatuo, omnem omninò neceſſitatem antecedentem & ab uſu libertatis independentem tollere libertatem: ad id moveor primò: quia nullum aſſignari poteſt diſcrimen inter neceſſitatem antecedentem, quæ libertatem deſtruat, & aliam neceſſita-

tem pariter antecedentem, quæ tamen libertati non officiat: dicunt illi quidem neceſſitatem antecedentem, quæ oritur ex libero Dei decreto ſtare cum libertate, ſecus verò aliam: ſed contrà: nam cum etiam à Deo poſſit abſolutè libertatis uſus in operando impediri, & exſcindi, tunc neceſſitas antecedens eſſet à Deo, & nihilominus periret libertas; cùm ergo utraque neceſsitas eſſe poſsit à Deo, quæ ſtat cum libertate, non differt ab aliâ quæ libertatem deſtruit per aliquid quod utrique tunc commune eſt, nempe quòd ſint & oriantur ex libero Dei decreto.

Confirmo hoc totum ex ipsâ Thomiſtarum doctrinâ; quippe qui docent ad Deum pertinere, ut prædefinire poſsit non ſolùm ut res fiant, ſed etiam ut fiant hoc aut illo modo, hoc eſt ut actus liberi liberè, & non liberi neceſſariò: ergo quando prædefinit modum, quo fiant actus non liberi, ſequitur ex prædefinitione illâ neceſſitas antecedens, quæ libertatem actus impediat: oritur tamen hujuſmodi neceſsitas ex decreto Dei prædefi-

nientis modum, quo fieri debent hujuſmodi actus non liberi: rurſus itaque quæro, quid habeat prædefinitio divina inducens neceſſitatem antecedentem, quæ libertatem non deſtruat, & in quo differat ab aliâ, quæ eamdem libertatem deſtruit? quid habet ſingulare neceſsitas illa, quæ libertati inimica eſt? quid item alia quam amicam dicunt? utraque eſt à prædefinitione liberâ, efficaci, abſolutâ, uſum libertatis noſtræ antecedenti, & ab illo independens; utraque ut actum à voluntate aut impetret aut extorqueat, phyſicam prædeterminationem in eam infundit; quid ergo in unâ latet libertati infenſum, quod in aliâ non reperias?

Deinde cùm poſsint effectus ſimiles habere cauſas diſsimiles, non ſatisfacit quærenti cur una neceſsitas antecedens, non alia libertati adverſetur? qui reſpondet cauſam hujus diſcriminis eſſe, quia una eſt à Deo, non verò alia: nam interrogandi adhuc locus ſupereſt, & occaſio juſtiſsima ſciſcitandi, quid cauſæ eſt cur neceſsitas

antecedens

antecedens à Deo orta non officiat libero arbitrio? quæ & qualis in ſe ſit? & cùm nigredo ſive à Deo ſit ſolo, ſive a creaturâ & ſimul à Deo, perinde ſubjectum cui unitur denominet nigrum, ſimiliter tenebræ ex quâcumque causâ oriantur, pugnent cum luce, qui fit ut neceſsitas antecedens à Deo orta uſum libertatis perficiat, quem extinguit neceſſitas aliunde profecta?

Sed inquies, Deus omnipotens eſt, & infinitè ſapiens, ut attemperare poſſit neceſſitatem illam antecedentem ſic, ut non tollat libertatem: Reſpondeo cùm ſit infinitè ſapiens & omnipotens, & aliundè juxta omnes ſit una neceſſitas antecedens libertati contraria, certè illius ſapientiæ eſt: ſi velit neceſſitatem aliquam ſtare cum libertate, in hujuſmodi neceſſitate aliquid ponere, quo ſit voluntati ita attemperata, ut liberè agere poſſit: quæro autem in quo conſiſtat hujuſmodi temperamentum, quo diſtinguitur ab alia neceſſitate libertatis peremptrice? etenim ſi nihil profers, quo Deus illam

attemperet & diſtinguat ab aliâ, fa-
tearis oportet vel nullum inter utram-
que eſſe diſcrimen, atque adeò utram-
que perinde libertati repugnare, vel
certè, quamvis aliquod eſſe debeat,
à te illud ignorari: quod ultimum ſi
quis concederet, ingenuam quidem
hominis confeſſionem laudarem, ſed
Theologiam hujuſmodi procul aman-
darem, quippe quâ omnis Theologia
cum Philoſophiâ pariter evertâtur:
pari enim facilitate quis diceretDeum
cùm ſit infinitè potens & ſapiens effi-
cere poſſe, ut lux & tenebræ ſtent ſi-
mul, ut nigredo dealbet naturaliter,
& albedo denigret, &c, quando à ſo-
lo Deo ortum habuerint; quòd ſi ur-
geas interrogando quid habeat nigre-
do, albedo, tenebræ &c, quando ſunt
à ſolo Deo, quod non habeant, quan-
do ſunt à Deo ſimul & à creaturâ, di-
cam eſſe tum quidem aliquid in nigre-
dine ſingulare, ſed quod differere ne-
queat humanum ingenium; donec igi-
tur explicent Thomiſtæ quid habeat
una neceſſitas antecedens præ aliâ, ut
ſtet cum libertate, non vice verſâ,

omnem omninò antecedentem neceſſitatem libertati inſenſam pronunciabimus.

Sed quid ſi reponent hoc ipſum habere unam præ aliâ, quod ſtet cum libertate, vel Deum qui diſponit omnia ſuaviter, & congruenter naturis rerum agit, velle ut unâ non obſtante, actus ſit liber? Reſpondeo cùm certò conſtet Deum agere congruenter naturis rerum, & ſit ſummè ſapiens, eligere media aptiſſima ad finem aſſequendum, quem ſibi proponit, quæro itaque quid ſit in unâ neceſſitate præ aliâ ſingulare, ratione cujus ſit medium aptiſſimum ad operationem liberam, quam vult, & non alia? Deinde qui ſic reſpondent, vitioſum circulum committunt: controverſia enim inter nos eſt, an omnis neceſſitas antecedens & independens à libertate, deſtruat libertatem: hinc nos, quoniam nihil in unâ elucet fatale libertati, quod non reperiatur in aliâ, contendimus ab omni hujuſmodi neceſſitate deſtrui: illinc Thomiſtæ diſtinguunt, & ab unâ deſtrui libertatem, non

Digitized by Google

ab aliâ defendunt; opportunè, importunè quærimus, quid ita? quia inquiunt, una ſtat cum libertate, non alia: atqui hoc ipſum quæro, cur una ſtet cum libertate, & non alia: vides, Lector, theſim hîc afferri ab adverſariis, ubi ab illis quærebatur ratio ejuſdem theſeos: priùs itaque aſſignanda eſt utriuſque illius neceſſitatis diverſitas; deinde facilè aſſignabitur diſcrimen inter decreta, quorum unum tollet libertatem, aliud verò non tollet.

Ratio autem cur neceſſitas omnis antecedens, & independens à libertate deſtruat libertatem eſt: quia hoc ipſo quòd detur in agente talis neceſſitas, agens neceſſitatur ad agendum ut ex terminis patet; nulla ſiquidem eſſe poteſt agendi neceſsitas, quâ agens dici non poſsit neceſsitari ad agendum: atqui neceſsitari ad agendum idem eſt ac non poſſe non agere: ut enim neceſſarium dicitur, quod non poteſt aliter ſe habere, ita agens neceſſarium, ſeu neceſsitatum ad agendum, eſt, quod non poteſt non agere: unde infero; ergo neceſsitas antece-

Digitized by Google

dens tollit libertatem: quia de conceptu agentis liberi eſt, ut poſſit agere & non agere: ergo ſi detur aliquid, quo excludas ab agente τὸ poſſe non agere, non conveniet tali agenti definitio agentis liberi: hinc gradum facio ad prædefinitionem, & ejus appendicem, prædeterminationem phyſicam: quare.

Dico prædefinitionem, qualem Thomiſtæ admittunt (idem dicendum de prædeterminatione) deſtruere libertatem probatur. Illud omne deſtruit libertatem voluntatis, quod in voluntatem inducit neceſsitatem antecedentem, & ab ejuſdem voluntatis libertate independentem: atqui prædefinitio Thomiſtarum, & prædeterminatio inducunt in voluntatem hujuſmodi neceſsitatem: ergo deſtruunt libertatem. Primam propoſitionem ſuperius probavi, dum oſtendi omnem neceſsitatem antecedentem perimere libertatem: ſola minor probanda ſupereſt, quod ſic præſto: illud inducit neceſſitatem antecedentem quod antecedit operationem, eſt infallibiliter cum-

Digitized by Google

illâ connexum, & ab vſu libertatis independens: atqui prædefinitio, & prædeterminatio ſunt hujuſmodi: nam volunt autores prædeterminantes, vnum ex prærequiſitis ad agendum, eſſe prædeterminationem, & à fortiori prædefinitionem, quæ ipſam præmotionem antecedit: deinde ſic cum operatione cõnexam deſcribunt, ut hæc duo Didacus Alvarez dicat eſſe incompoſſibilia, quòd ſcilicet in libero arbitrio pro aliquo inſtanti ſit prædeterminatio cũ cæteris ad agendum prærequiſitis, & quòd liberum arbitrium non agat: denique ſic à libertate eſt independens tum prædefinitio, tum prædeterminatio, ut ponatur prædefinitio, & decernatur præmotio antequam Deus prævideat quid operatura ſit voluntas, quippe qui futuram voluntatis operationem non videat niſi in decreto illo prædefinienti, & prædeterminationem ad id obtinendum, quod vult, eligenti: itaut nec penes voluntatem ſit *eam impedire, aut advocare* ut ipſe P. Labat ſcribit, pag. 19. hæc omnia Thomiſtæ præde-

Digitized by Google

erminationi communiter tribuunt, in
rimis verò Didacus Alvarez, diſp. 25.
& 115. & aliis: quæ cum ita ſint, manife-
ſtū videtur prædefinitionem cum præ-
leterminatione inducere neceſsitatem
intecedentem; cùm enim inducat ne-
eſsitatem aliquam eamque libertas
ion faciat, ſed patiatur, oritur ſiqui-
lem indiſpenſabiliter ex præmotione,
juam voluntas non recipit liberè, &
lliunde eadem illa præmotio antece-
lat operationem noſtram, quo alio
omine verius donari potest, quàm
ieceſsitatis antecedentis? atqui om-
iis neceſsitas antecedens deſtruit li-
ertatem: ergo & prædefinitio unâ
um prædeterminatione eamdem pa-
iter deſtruet.

Argumentum illud eludere conan-
ur Adverſarii celebri illâ diſtinctione
enſus diviſi, & compoſiti: dicunt er-
go neceſſitatem iſtam antecedentem,
quam inducit præmotio non deſtruere
libertatem: quia cum illâ ſtat poten-
tia ad agendum & non agendum in ſen-
ſu diviſo, quamvis non ſtet in ſenſu
compoſito; cujus diſtinctionis juxta

Digitized by Google

illos ſenſus eſt, cum prædeterminatione ad amorem *v. g.* non ſtare potentiam ad non amandum, vel odio habendum in ſenſu compoſito, hoc eſt ad componendam negationem amoris, vel odium cum prædeterminatione ad amorem, ſtare tamen cum eâdem prædeterminatione ad amorem, potentiam, ad odium, & negationem amoris ponendam diviſim ab illâ prædeterminatione: quod breviùs alii ſic explicant, ut velint ſtare ſub præmotione utramque potentiam, ſeu ſimultatem potentiæ agendi & non agendi, ſed non ſimultatem actus, ideóque negant de conceptu liberi eſſe, ut cum omnibvs prærequiſitis ad agendum poſsit conjungi actio, & non actio, ſed ſatis eſſe putant ſi potentia agendi conjungatur cum potentiâ non agendi, ut in mediis tenebris oculus habet potentiam videndi, non tamen conjungendi viſionem cum tenebris: contra quam diſtinctionem ſic argumentor.

Atqui de ratione liberi eſt ut poſsit agere, & non agere in ſenſu compo-
ſito

Digitized by Google

ſito, ita ut cum omnibus prærequiſitis ad actionem componere poſſit negationẽ actionis: ergo nulla diſtinctio: probatur antecedens: nam de ratione agentis liberi eſt poſſe cum omnibus prærequiſitis ad agendum conjungere actionem; ſeu poſſe agere in ſenſu compoſito: ergo & non agere etiam in ſenſu compoſito: probatur conſequentia: quia ex D. T. utrumque *indifferenter* poſſumus 1. p. q. 85. a. 2. & ex Clemente Alexandrino, *ex æquo utrumque poßumus*: atqui nec indifferenter, nec ex æquo poſſet agere & non agere, ut patet, ſi actionem poſſet conjungere cum prærequiſitis, non autem negationem actionis: quod ex eodem D. Thom. ſatis conſtat, dum paſſim explicat libertatis indifferentiam per dominium, quo voluntas eſt domina actus: atqui habere dominium actus eſt habere optionem ponendi actum vel non actum cum omnibus prærequiſitis ad actum.

Confirmatur. Nemo qui terminos intelligat, dixerit eum, qui eſt in mediis tenebris habere dominium in vi-

Digitized by Google

ſionem objecti, ſi neque viſionem conjungere poſſit cum tenebris, nec tenebras expellere: dominium enim in viſionem dicit poſſe conjungi viſionem cum circumſtantiis, in quibus eſt tale dominium, aut ſaltem poſſe tollere circumſtantias, quæ actualem viſionis productionem non compatiuntur, alioquin dominium perindè dicetur habere in commeſtionem panis, cujus os peſſulo ferreo ita undique obturatum fuerit, ut nemo peſſulum illud removere poſſit præter Deum: dominium pariter in curſum, idque expeditum, & liberam currendi optionem tribuemus homini pedes quidem habenti, ſed catenâ ferreâ, quam ſolus Deus ſolvere poſſit, alligatos: ſtat enim tunc potentia loco motiva ſub catenis illis, non minus quàm potentia videndi in oculo tenebris, quas expellere nequeat, undique circumfuſo: & verò interroga quotquot vim verborum norunt, & quære an in mediis tenebris poſſit quis videre? an qui podagrâ laborat, ſit expeditus ad currendum, &c. Reſpondebunt om-

Digitized by Google

nes, etiam Thomiſtæ (modò de prædeterminatione tunc non moveatur quæſtio) non poſſe in tenebris jacentem videre, nec vinculis ligatum, aut podagrâ laborantem currere; ſed ſi de prædeterminatione ſermo ſit, nova enimvero tunc ineſt vocibus vis, continuò nova inſtituenda vocabularia, quæ doceant hominem catenis alligatam, aut podagrâ laborantem poſſe expeditiſſimè currere, & per illum ſtare ut currat, vitioque illi vertendum, ſi juſſus currere, non currat, ſimiliter hominem in tenebris, quas excutere nequit, poſſe videre, & peccare graviſsimè, ſi librum ipſi appoſitum juſſus legere, non legat: ratio eſt; quia etiam in tenebris habet oculos, quam igitur excuſationem obtendet imperanti ut legat, efficaciſſimâ illâ ratione, ſi ſuperis placet, convictus?

Atque ne quis cõparationem illam invidioſè à me quæſitam putet, moneo eſſe ipſius Alvaris, qui vult potentiam agendi & non agendi, cum omnibus ad agendum prærequiſitis componi, ut inquit, potentia viden-

Digitized by Google

di componitur & ſimul exiſtit cum tenebris: qua in re omnes fateamur oportet celeberrimum illum Thomiſtam ſimillimâ comparatione ſententiam ſuam tueri: nam ut penes voluntatem non eſt apertis oculis & ex parte ſuâ ad videndum compoſitis, tenebras ut plurimùm accerſere, vel repellere, ita nec ejuſdem voluntatis eſt advocare prædeterminationem, aut eam rejicere: deinde ut viſio cum tenebris componi non poteſt, ita neque actionis negatio cum prædeterminatione ad agendum; denique ſicut ſub prædeterminatione ad actionem ſtat potentia ad non actionem: quia ſtat voluntas cum judicio indifferenti, ita in mediis tenebris ſtat pari jure potentia ad viſionem: quia ſtat oculus illæſus ac apertus, & organa illius ſtant integra; videtur itaque omnimoda paritas, niſi quòd interdum in manu hominis ſit tenebras expellere accenſâ candelâ, nunquam autem in nobis prædeterminationem accerſere, atque adeò deterior hac parte eſt conditio prædeterminantium: norint igi-

Digitized by Google

tur omnes, hominem dum peccat, poſſe in ſcholâ prædeterminantium non peccare eodem omnino modo, quo quis poteſt videre in mediis tenebris, quas nec poſuit, nec jam poſitas repellere valet: quæro autem, an ſi herus aliquis famulo diem diceret, accuſaretque apud ſenatum quòd legere iuſſus in tenebris denſiſsimis, quas ſolus herus inſuperabiliter induxiſſet, jubenti non obtemperaſſet, quæro inquam, quis apud æquiſsimos judices causâ caderet? an herus, qui præcepiſſet lectionem libri in circũſtantiis, quas nec famulus poſuit, ſed herus, nec poſitæ tolli poſſunt niſi ab eodem hero, & quibuſcum mihilominus eſſe nequit lectio libri? an famulus, qui ut objectum crimen diluat, tenebras cauſatur ſibi minimè liberas, quæque legi librum nullatenus patiantur? unde ſic iterum argumentor.

Cauſa libera id debet poſſe ad quod tenetur aliquando ſub gravi peccato, nemo enim peccat ex Aug. in eo, quod vitare non poteſt: atqui qui habet omnia prærequiſita ad pecca-

tum, ad odium Dei *v. g.* tenetur cōponere non peccatum, ſeu non odium Dei cum omnibus præerequiſitis ad peccatum, nempe odium Dei; Ergo poteſt componere non peccatum cum omnibus prærequiſitis ad peccatum; ergo ſi ex prædeterminatione ad peccatum oriatur neceſſitas, quæ incompoſſibilem reddat illam compoſitionem non peccati cum prærequiſitis ad peccatum, illa naceſſitas deſtruet libertatem, quippe quæ dicat potentiam faciendi id, ad quod tenetur ſub peccato.

Denique ſi valeat illa diſtinctio ſenſus compoſiti, & diuiſi, ridicula & inanis ſit definitio liberi oportet: nam cùm ipſi negent voluntatem poſſe cum omnibus præerequiſitis ad agendum non agere in ſenſu compoſito, hoc eſt ut Alvarez explicat, voluntas non poteſt facere, inquiunt, ut pro eodem inſtanti temporis ſimul ſint prærequiſita, & non actio, ſequitur, dum dicunt poſſe non agere in ſenſu diviſo, nihil aliud dicere, quàm voluntatem poſſe facere, ut pro alio inſtanti temporis

quo non ſunt prærequiſita, ſit non actio: quare juxta illos definitio liberi hunc ſenſum habere debet: agens liberum eſt illud, quod habet poteſtatem agendi pro tempore, quo ſunt prærequiſita ad agendum, & ſimul habet poteſtatem etiam non agendi, ſed pro tempore, quo non erunt requiſita ad agendum: atqui hoc totum convenit agenti neceſſario, nullum ſiquidem eſt, de quo dici non poſſit: cum omnibus prærequiſitis poſſe conjungere actionem, & de facto conjungere, præterea poſſe etiam facere, ut ſit non actio pro tempore, quo non ſunt prærequiſita: nec dicas in agentibus neceſſariis hanc non tam eſſe potentiam agendi, quàm impotentiam: nam pari jure dicam in agente libero potentiam non agendi, non tam eſſe potentiam non agendi, quàm impotentiam agendi: nulla ſiquidem alia eſt ratio, cur agenti libero tribuatur potentia non agendi, quàm quia pro eodem tempore poteſt conjungere non actionem cum omnibus prærequiſitis ad actionē; quod ſi illi denegetur,

nulla poteſt afferri diſparitas, ratione cujus agenti libero tribuatur poteſtas agēdi&non agendi alia, quàm quæ tribuitur agenti neceſſario, hinc autem.

Infero, prædeterminationem ad agendum non minùs eſſe impedimentum potentiæ non agendi, quæcumque præſupponatur, quàm tenebræ ſint impedimentum ad videndum, nec magis imputandam voluntati prædeterminatæ ad actum, omiſſionem actus quàm homini in tenebris poſito omiſſionem viſionis, quæ tunc illi juxta Aug. neceſſaria eſt: ſic enim ait contra Pelag., qui dicebat videre eſſe in noſtrâ poteſtate, *quomodo in poteſtate noſtrâ eſt videre, ſi velimus, cum etiam ſalvâ integritate corporis, oculorumque noſtrorum, nec volentes videre poſſimus, ſive per noctem luminibus, quæ forinſecus adhibentur, ademptis: ſive nos quippiam in tenebroſo loco aliquo includat:* ergo ex Aug. qui eſt in tenebris non eſt liber ad videndum, & tamen habet potentiam videndi in ſenſu diviſo: ergo iſta ad libertatem non ſufficit.

Infero 2. prædetermiationem eodem

modo

modo perficere libertatem, quo tenebræ potentiam videndi, quove podagra, aut compedes expediunt potentiam loco motivam ad curſum.

Infero 3. ſi valeat illa ſenſus compoſiti & diviſi diſtinctio, nullam concipi poſſe neceſſitatem extrinſecùs immiſſam, ne coactivam quidem, ſi dari poſſet, quæ libertati officeret: nam cum illâ, quæcumque tandem ſit, ſtabit potentia ad agendum in ſenſu compoſito, & non agendum in ſenſu diviſo, hoc eſt pro inſtanti, quo non erit talis neceſſitas.

Infero 4. amorem beatificum eſſe liberum, quod tamen Thomiſtæ cum cæteris negant, qui catholicè ſentiunt: ratio autem illationis eſt: quia eadem illa voluntas, quæ ex viſione Dei neceſſitatur ad amandum in ſenſu compoſito, ſeu ad componendum amorem Dei cum viſione Dei, ipſiſſima eſt, ut ita loquar, quæ pro alio tempore componeret non amorem cum ſufficientibus ad amorem: ſed, inquies, ſtante viſione Dei non eſt indifferentia judicii, quæ ad libertatem requiritur: ſed

contrà, fac etiam cum viſione ſit alia cognitio Dei, quæ aliàs ſufficeret ad amandum liberè, tunc eſſet indifferentia judicii, nec tamen ſufficeret ad libertatem: ergo ideò præcisè voluntas carere debet illâ Dei viſione: quia neceſſitatem amandi inducit: atqui hoc etiam præſtat prædefinitio &c. Deinde poſitâ viſione non eſſe indifferentiam judicii requiſitam ad potentiam amandi & non amandi, idem eſt ac voluntatem ab illâ neceſſitari: atqui id totum habet prædeterminatio: ergo &c. Hæc pluribus citatus jàm Autor in ſuo opere de ſcientia mediâ

ARTICVLVS III.

An prædeterminationi faveat Concilium Tridentinum, an verò illam deſtruat.

ABſtinuiſſem ab iſtâ quæſtione niſi me adverſarii in hac parte moviſſet præſidentia, cùm enim ex defi-

Digitized by Google

nitionibus iſtius Concilii eradēda eſſent verba non pauca, ut prædeterminantibus non adverſaretur, ſic tamen illius authoritatem nobis objicit, ut, ſi homini credatur, eâ ſentiamus nos maximè implicari; *unde*, inquit, *in omne latus ſe vertunt, vt ab illo ſe expedire poſsint*: antequam me ab argumento, quod ex Tridentino ducitur expediam, juvat experiri an Thomiſtæ ejuſdem Concilii authoritate impediantur? nec longa, nec multum impedita erit diſputatio penetrantibus terminos: hinc igitur primo loco verba, quibus Thomiſtæ prædeterminationem ſuam deſcribunt, illinc verò verba pariter, quibus Tridentinum quid gratiæ conveniat, definit, comparemus & ex communi omnium ſenſu expendamus; tum ad æquiſſimos quoſque judices provoco.

Prædeterminantes dum præmotionis naturam explicant, clariſsimè docent voluntatem abjicere non poſſe prædeterminationem, reſiſtere illi non poſſe, diſſentire non poſſe; nec verò longus mihi Autorum catalogus con-

texendus eſt: idem enim ſapiunt illi hac in parte ferè omnes, unde ſi vel unum Alvarem, aut Bannem ſic ſentire ac loqui oſtendero: de cæteris prædeterminantibus hac in re vix poteſt eſſe dubitandi locus.

Sic igitur Bannez, 1. p. q. 14. a. 13. ſub finem ubi de cauſâ primâ ait, *ita determinat cauſas ſecundas ad ſuos effectus producendos, quòd nulla cauſa ſecunda poteſt exire ab eius determinatione*: & q. 23. a. 5. ad 7. ſic ait: *itaque ſuaviter quidem, ſed efficaciter Deus movet voluntatem, nec effectus divinæ voluntatis impediri poteſt à voluntate noſtrâ*: atqui ſi voluntas non poteſt exire à determinatione cauſæ primæ, non poteſt illam abjicere: nam ſi abjiceret, certè ab illâ exiret: ſimiliter ſi Deus ita voluntatem movet, ut impediri non poſſit à voluntate noſtrâ effectus divinæ voluntatis, voluntas reſiſtere non poteſt Deo moventi: nam ſi reſiſteret impediret, & quo modo reſiſtet, eo etiam impediet: ergo ex mente Bannis voluntas abjicere nequit præmotionem, nec poteſt illi reſiſtere. Idem

2. 2. q. 1. a. 1. docum. 3. *cùm hoc tamen ſtat, inquit, quòd hæc copulativa ſit impoſsibilis; Deus tali auxilio excitat & movet liberum hominis arbitrium, & liberum hominis arbitriũ non conſentit Deo ſic excitanti & vocanti: hoc enim contradictionẽ implicat*: ita etiam Alvarez & alii paſſim: hinc autem ſic arguo: per te impoſſibile eſt, ut Deo excitanti ad conſenſum voluntas non conſentiat: ergo voluntas non poteſt diſſentire: & verò tum Bannez, tum alii prædeterminantes ſibi hac in parte conſtant, nam ſi voluntas poſſit reſiſtere prædeterminationi, poteſt illam fraudare ſuo effectu, eamque reddere inefficacem: ergo non eſt ex ſe efficax contra iſtorum mentem: quæ cum ita ſint quid magis oppoſitum, quàm Autores prædeterminationis & Patres Concilii Trident. illi Clamant Deo moventi non poſſe reſiſti, non poſſe deſſentiri, non poſſe Dei motionem abjici: è regione autem Patres Trident. definiunt ſeſſ. 6. cap. 5. abjici à nobis poſſe: & Can. 4. anathemate feriunt eum, qui dixerit liberum ar-

Digitized by Google

bitrium à Deo motum Deo excitanti atque vocanti non poſſe diſſentire ſi velit: accedunt Patres Concilii Senonenſis, qui decreto 5. definiunt non eſſe tale Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit: tam diſſonis inter ſe vocibus & ſenſibus excitatus aliquis ſecum deliberet, cui tandem parti ſe adjungat: quibus credet, an prædeterminantibus, quorum fidei non legimus promiſsū quod D. Petro & Sedi Apoſtolicæ conceſſum fatentur Catholici, ut videlicet non deficiat? an Concilio œcumenico, quo interprete Spiritum Sanctum oracula ſua nobis pandere & explicare novimus? ipſos Thomiſtas compello iiſdem verbis, quamvis in causâ longè diſpari, quibus Apoſtoli Doctores legis aliàs compellabant: *ſi iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quàm Deum, iudicate.* Quid reponant ipſi non me latet, ſed tam clara explorataque eſt Concilii ſententia, ut ſimpliciter proponenda ſint illius verba ad faciendam fidem: ſuo tamen loco effugia illorum oſtendam & præcludam: ſed ex eodem Conci-

Digitized by Google

lio priùs ratiocinando efficiam, ut intelligant, quo jure tantam ſibi vendicent authoritatem.

Trid. ſeſſ. 6. can. 4. hæc habet: *ſi quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum.... non poſſe diſsentire ſi velit*, nempe Deo vocanti & excitanti, *anathema ſit*. Ex quo loco ſic argumentor: ex Tridentino Deus ita movet voluntatem, ut illius motioni voluntas diſſentire poſſit: atqui præmotioni phyſicæ voluntas diſſentire non poteſt: ergo Deus non movet voluntatem per præmotionem phyſicam: maior eſt Concilii, minor patet ex penetratione terminorum: nam præmotio phyſica, qualem Thomiſtæ recentiores deſcribunt eſt hujuſmodi, ut copulativa iſta ſit impoſſibilis: Deus præmovet voluntatem ad aſſenſum, & voluntas diſſentit: ergo impoſſibilis eſt diſſenſus ſtante præmotione ad aſſenſum: ergo voluntas non poteſt diſſentire Deo moventi per hujuſmodi præmotionem: huic argumento variè reſpondent; non eſt animus ire per ſingula, ſed quoniam

Digitized by Google

his temporibus plerique illorum confugiunt ad diſtinctionem ſenſus compoſiti & diviſi: hanc unam mihi impugnandam propono, eâ tamen cautione, ſicuti cætera omnia, ut ab omni contrariæ opinionis cenſurâ abſtineam, eamque ab omni notâ eximam, ſcripturus quid in hac controverſiâ diſputandum, dubitandumque videatur, ſed nullius ſententiam ullâ ratione notaturus.

Diſtingunt itaque & dicunt voluntatem à Deo motam non poſſe diſſentire in ſenſu compoſito, ſecus verò in ſenſu diviſo: diſtinctionem illam impugnant ea omnia, quæ ſuperiori art. contra illam adduximus: duo ſunt, quæ addam, quoniam ſpecialem continent difficultatem.

Primum petitur ex communi ferè omnium ſenſu, qui loquendo ſciunt quid dicant: nam diſſentire alicui, ſi ſubjectam vocibus ſignificationem ex uſu communi inveſtigare velimus, quâ quæ potior regula eſſe poteſt, ſi ex uſu, inquam: definire quis cupiat, quid ſit diſſentire alicui moventi, illicò intelligет

ligetidſané nihil aliud eſſe quàm hinc proponi nobis rationes quibus flectamur ad aſſentiendum, illinc verò negari aſſenſum, ita ut illa duo ſimul componantur, motio ad aſſenſum & ipſe diſſenſus: amicus amico, pater filio, herus famulo, dives miſero, tunc diſſentire cenſetur, quando petenti denegatur quod petitur eo ipſo temporis inſtanti, quo perſeverat ac viget in mente & memoriâ diſſentientis rei petitæ ſpecies, & rationum momenta, quæ propoſita ſunt, ut ſe flecti ſineret: ita rem omnes intelligunt, imò vix ac ne vix quidem aliter fieri poteſt: nam qui petenti aliquid, id denegat, debet noſſe quid deneget, meminiſſe etiam id fuiſſe petitum ab eo cui denegat, amico videlicet aut filio, ipſa autem amici vel filii petitio eſt aliqua ſuaſio, & motio, quâ ad dandum excitatur; prætereà vix aliquando contingit, ut ſtatim animo excidant rationes ad ſuadendum propoſitæ; nunquid diuiti eleemoſinam deneganti objicitur præſens miſeria pauperis per illam ipſam miſeriam obſecrantis, ut aliquid
S

ipſi largiatur? quid, quæſò, homines intelligunt aliud, dum dicunt divitem denegaſſe pauperi eleemoſinam; quàm ſtantibus iis, quibus movebatur ad aliquid largiendum, noluiſſe aliquid largiri? quid rurſus eſt Patrem Labat ſuadenti ut præmotiones phyſicas imposterum rejiciat, diſſentiri; quàm in mente illius duo eſſe, hinc validas argumenta, quibus impellitur ad proſcribendam prædeterminationem, illinc actum, quo dicat, nolo acquiſcere: hoc autem eſt diſſentiri in ſenſu compoſito, & quiſquis alteri ſuadenti aliquid, diſſentiri dicitur, eodem modo ſe habere concipitur: ex quibus omnibus conficio, apud homines *diſſentiri ſuadenti ſeu moventi nos ad aliquid* facere ſenſum compoſitum, & idem eſſe ac ponere diſſenſum cum ipſâ motione ad aſſenſum.

Cùm ergo Patres concilii loquantur humano modo & ſenſus ſuos exprimant per verba, quæ ex uſu inter homines communi ſignificent, quod ipſi in mente habent, ſequitur illos

Digitized by Google

dum hominem definiunt *poſſe diſsentire Deo moventi*, id totum intelligere eo modo & ſenſu, quo cæteri homines illum loquendi modum intelligunt : atqui inter homines diſſentiri alteri mouenti eſt componere diſſenſum cum motione illâ, ut lippis & tonſoribus notum eſt : ergo diſſentiri Deo moventi eſt componere diſſenſum cum motione divinâ : & verò ſi aliter Concilium rem intellexiſſet, laqueos omnibus quotquot Canonem illum lecturi erant aliquando, injeciſſet : quid enim procliviùs quàm vocem illam *diſſentiri* ab humanis ad divina ſignificanda tranſlatam eodem modo intelligere, ac propter eà exiſtimare, diſſentiri Deo moventi, idem eſſe ac componere diſſenſum cum motione divinâ, ut diſſentiri homini moventi eſt componere diſſenſum cum motione humanâ ? Res ex mox dicendis confirmabitur.

Alterum quod diſtinctioni ſenſus compoſiti & diviſi oppono, petitur ex mente Concilii Calvinum hoc Canone quarto damnantis, ut apud nos

Digitized by Google

omnes certum eſt: nam ſi valeat illa diſtinctio, ſequitur vel Calvinum non erraſſe; ſed in re catholicè ſenſiſſe, vel damnatum non fuiſſe illius errorem: quod antequam probem

Suppono Concilium hoc Canone 4. damnare Calvinum, atque definire tanquam veram, doctrinam Calvini propoſitioni contradictoriè oppoſitam: cum ergo damnet illos omnes qui cum Calvino dixerint *liberum arbitrium motum à Deo non poſſe diſſentire*, definit tanquam fide certum, *liberum arbitrium motum à Deo poſſe diſſentire Deo moventi*: quæ propoſitio cum contradictoriè oppoſita eſſe debeat errori Calvini, alioqui non damnaretur, ſequitur Calvinum ſenſiſſe liberum arbitrium motum à Deo non poſſe diſſentire, & in hoc hæreticum fuiſſe.

Duobus autem modis negare potuit Calvinus liberum arbitrium motum à Deo poſſe diſſentire: primò quidem, ita ut dixerit non poſſe diſſentire in ſenſu compoſito, conjungendo videlicet diſſenſum cum motione ad

aſſenſum, ſecundò, ita ut dixerit non poſſe diſſentire in ſenſu diviſo, nec alius ſupereſt ſenſus, qui illi tribui meritò poſſit, aut etiam fingendo excogitari: hæreticus igitur fuit, vel quia dixit voluntatem non poſſe diſſentire Deo moventi in ſenſu compoſito, vel in ſenſu diviſo: quibus poſitis ſic arguo: vel Calvinus erravit, quia docuit liberum arbitrium non poſſe diſſentire Deo moventi in ſenſu compoſito motionis divinæ, vel in ſenſu diviſo ejuſdem motionis; ſi primum dicas: ergo hæreticum eſt dicere voluntatem non poſſe diſſentire in ſenſu compoſito motionis: ergo debet poſſe diſſentire in ſenſu compoſito juxta Concilium: atque adeò vel damnata foret prædeterminantium opinio in Calvino, vel non eſſet damnatus Calvinus: utrumque autem falſum eſſe dicunt Thomiſtæ: ſi ad alterum diſtinctionis membrum confugiant, & dicant erraſſe, quòd aſſeruerit liberum arbitrium non poſſe diſſentire Deo moventi in ſenſu diviſo motionis, oſtendo imponi Calvino, & in hoc

Digitized by Google

non erraſſe. Duplex eſſe poteſt ſenſus iſtius propoſitionis: *liberum arbitrium non poteſt diſſentire Deo in ſenſu diviſo motionis*: primus & legitimus, ſi vim verborum ſpectes, eſt voluntatem non poſſe diſſentiri Deo in ſenſu diviſo motionis, hoc eſt, non poſſe ſublatâ motione ad aſſenſum ponere diſſenſum, ut dicitur paries niger poſſe eſſe albus in ſenſu diviſo nigredinis, hoc eſt ſublatâ nigredine poſſe recipere albedinem: nunquam autem ita inſanivit Calvinus, ut rem manifeſtiſſimè falſam diceret; quin imò diſertis verbis aſſerit ſublatâ motione ad aſſenſum neceſſariò eſſe diſſenſum, *& voluntatem obdureſcere in ſordibus ſuis*.

Alter ſenſus ejuſdem propoſitionis, ſed alienus, ſolâ neceſſitate defendendæ privatæ quorumdam opinionis quæſitus, ac violentus eſt liberum arbitrium non habere ſub præmotione ad aſſenſum potentiam ad diſſenſum ponendum ſeorſim à præmotione; quod ſi dixerit Calvinus, negata ab illo fuit potentia ad actum cum præmotione componendum, & non actum

diviſim à præmotione ponendum: verùm falsò tribuitur hic error Calvino: nullam enim Thomiſtæ admittunt potentiam diſſentiendi, quam ipſe Calvinus in re non admittat: ponamus in exemplum hominem prædeterminatum ad amorem, contendo juxta Calvinum poſſe odiſſe in ſenſu diviſo, eo modo, quo Thomiſtæ rem explicant: eſt tunc potentia ad odium, ſi ea omnia, quæ apud Thomiſtas conſtituunt potentiam ad odium in ſenſu diuiſo, admittantur etiam à Calvino: atqui admittuntur: ergo &c. Minor de quâ ſolâ dubitari poſſet, probatur: ideò juxta Thomiſtas prædeterminatus ad amorem habet potentiam ad odium; quia ſub tali prædeterminatione manet voluntas, & judicium indifferens proponens objectum ſub aliquâ ratione boni, & mali finiti: atqui Calvinus ea omnia admittit, neque enim adeò fungus fuit, ut exiſtimaret ipſam voluntatem deſtrui, quo tempore voluntas amat: ejuſdem autem voluntatis eſt amare, & odiſſe: deinde nunquam ſomnjavit, quo tempore eadem

Digitized by Google

dem voluntas prædeterminata amat, deſtrui judicium indifferens, quod nobis prælucere experimur, & tunc vel ferri voluntatem in incognitum, aut certè irradiari tunc novo aliquo lumine evidenti: quaſi verò exiſtimaverit Deum intuitivè videri à nobis, quando in hac vitâ amatur: præterea concedi à Calvino indifferentiam judicii probat Bellarm. l. 4. de gra. & libero arbitrio c. 14. ad finem; teſtis ipſe Calvinus lib. 6. contra Pigium. pag. 344. & alibi ſæpe: quia ſcilicet adeò manifeſtum eſt apparere nobis in ipſis objectis aliquid boni & aliquid mali, ut nunquam hæreticis in mentem venerit hoc negare: cùm ergo hæc duo, voluntas videlicet, & judicium indifferens conſtituant potentiam in ſenſu diviſo ad odium, & perinde maneant in doctrinâ Calvini, ac prædeterminantium; maneat quoque neceſſe eſt in utraque opinione potentia in ſenſu diviſo, atque adeò libertas, vel in utrâque pereat.

Sed inquies, Calvinus apertè negat libertatem ſtare cum præmotione: at

at cæteri prædeterminantes eamdem & tuentur, & pro viribus adſtruunt: ergo non conveniunt inter ſe: fateor à Calvino libertatem negari, quam Thomiſtæ tamquam fide certam concedunt: ſed nihilominus contendo videri, nullum de re inter illos diſcrimen eſſe, ſed totum diſſidium eſſe de nomine, ſi valeat diſtinctio allata ſenſus compoſiti, & diviſi: quod ut omnes intelligant.

Obſervandum eſt hîc duas quæſtiones moveri poſſe, alteram de re, alteram de nomine, de re quidem; an detur præmotio, qualem deſcribūt Thomiſtæ, & vi cujus voluntas ita ad operandum determinetur, ut poſſit non operari in ſenſu diviſo, ſecus verò in ſenſu compoſito? de nomine autem; an ſcilicet operatio, quæ procedit à voluntate ſic prædeterminatâ appellari debeat libera? circa primam quæſtionem videtur eſſe perfecta conſenſio: nam ipſo teſte Alvare initio ſui operis, ubi refert ſententiam Calvini circa libertatem, & diſp. 92. Calvinus admittebat præmotionem indepen-

Digitized by Google

dentem à noſtrâ voluntate, & talem, ut ipsâ poſitâ non poſſet non eſſe effectus : ex quo ſequitur præmotionem Calvini fuiſſe hujuſmodi, ut voluntas eâ præmota ad aſſenſum non poſſet diſſentiri in ſenſu compoſito : poſſet tamen in ſenſu diviſo, ut probatum eſt: in quo ergo videtur eſſe diſſidium? nimirum in quæſtione de nomine, an ſcilicet operatio procedens à voluntate habente poteſtatem non operandi in ſenſu diviſo, non autem in ſenſu compoſito vocari debeat libera necne; Calvinus negat eſſe donandam hoc nomine, Thomiſtæ liberam dicunt : quibus poſitis ſic argumentari quis poſſet.

Tunc eſt quæſtio de ſolo nomine, quando qui diſſident, conveniunt in re, ita ut quicquid admittit unus in re, admittat & alius, ſed non conveniunt, an illud ipſum quod admittunt, appellari debeat hoc nomine præ alio : atqui ſic res videtur ſe habere Calvinum inter, & Prædeterminantes (abſit comparationi invidia) ergo inter illos eſt mera quæſtio de nomine: ma-

jorem omnes concedent, minor conſtat ex dictis: nam ſi foret aliquod diſſidium de re, maximè, quia Thomiſtæ contendunt voluntatem præmotam ad aſſenſum poſſe diſſentire in ſenſu diviſo, quod fortè aliquis à Calvino negatum dicet, verùm cum illâ potentiâ nihil aliud ſit in re, quàm ipſa voluntas, & intellectus cum advertentiâ rationis: & judicio indifferenti, manifeſtumque ſit id totum à Calvino admitti, potentiam quoque diſſentiendi in ſenſu diviſo admiſiſſe certum eſt: quid ergo negat? nempe operationem quæ fluit à voluntate habente potentiam non operandi in ſenſu diviſo tantùm, dicendam eſſe liberam: putat enim τὸ liberum ſignificare aliquid aliud, potentiam videlicet operandi, & non operandi in ſenſu compoſito; Thomiſtæ autem ſentiunt τὸ liberum ſignificare ſolùm potentiam operandi & non operandi in ſenſu diviſo: quâ in re eodem modo videntur ſe habere, ac qui faterentur Petrum eſſe animal rationale, unus tamen negaret eſſe hominem, quia per vocem,

homo, intelligeret animal irrationale; alter verò contenderet eſſe hominem, quia illa vox ſignificat tantùm animal rationale: iſti moverent quæſtionem de ſolo nomine: ergo & alii. En quid dubitationem moveat circa Tridentini authoritatem, an prædeterminantibus faveat, nec ne?

Quòd ſi quis hoc totum concederet, & fateretur nullum niſi de nomine inter Calvinum & prædeterminantes eſſe diſſidium, ſed ſummam in re conſenſionem, cum ego in primis à Thomiſtis diſſidere plurimùm non ambigerem, quamvis enim nullum mihi inter illos diſcrimen in re eſſe appareat (quæ fortè ingenii mei tenuitas eſt) nunquam tamen adducar, ut credam Thomiſtas aliquando conceſſuros nihil Caluinum inter, & ipſos hac in parte diſcriminis in re intereſſe ſed de ſolâ voce diſſidium eſſe; qui enim hoc concederet, fateretur pariter oporteret Calvinum in re catholicè ſenſiſſe de libertate, aut certè, quod quis dicere audeat? Thomiſtas cum illo errare: quandoquidem in re

Digitized by Google

idem ab omnibus dici affirmaret 2. à Tridentino Calvini opinionem de libertate damnatam eſſe de ſolo modo loquendi, quòd ſcilicet voluntatem præmotam ad operandum, & operationem ab illâ ortam noluerit appellare liberam, quamvis agnoſceret, admitteretque voluntatem ſic præmotam habere potentiam ad operandum, & non operandum in ſenſu diviſo, eo omni modo, quo Thomiſtæ potentiam illam explicant, & quam ad libertatem ſufficere contendunt: atqui iſtud dici non poteſt: nam Concilia quando aliquis bene, & catholicè ſentit, ſed tamen malè loquitur, monent illum, ut teneat dogma, ſed aliter loquatur, idque ſemper quidem ſapientiſſimè, ſed in hâc causâ præſertim: nam quamvis Calvinus libertatem, quæ ſub præmotione reliqua eſſe poteſt, titulum ſine re appellaret, non renuebat tamen, ut aliqua iniretur concordia, homo ſcilicet pacificus, libertatem vocare, & operationem illius, liberam: *ego enim*, inquit, *abominor logo-machiam.*

Digitized by Google

Mitto pluribus urgere locum iſtum, & plura vel ex Scripturâ, vel ex Patribus afferre teſtimonia, quibus præmotiones iſtæ rejiciuntur: ſatis enim habeo ſpecimen aliquod dediſſe difficultatis, quam patiuntur Adverſarii in conciliandâ prædeterminatione cum Tridentino: quid ipſi ex eodem Concilio nobis opponant, ſolvam ſub finem alterius partis hujus diſputationis mox ſequuturæ; nec plura addam argumenta, quæ contra præmotiones fieri ſolent, eſſentque Adverſario clariſſimè ſolvenda, *ut clariſsima eßet ſolutio obiectionis intricatiſsimæ ac difficillimæ*, quam ille diluendam ſuſceperat, *ſed quam omnes hactenus tentarunt, nemo obtinuit.*

Digitized by Google

DISPVTATIONIS

PARS ALTERA.

PERFECTA hæc virtutis Bellicæ laus eſt , ut dimicando hinc hoſtium impetus laceſſita tueatur conſtanter, illinc verò eorumdem caſtra invadat fortiter: utramque ſanè laudem in iſtâ diſciplinarum paleſtrâ ex æquo obtinet R. P. Labat: ſed quod ſtrenuiſſimis ducibus, neſcio quâ ſortis iniquitate non ſemel contigit: ut generosè illi quidem rem aggrederentur, infeliciter tamen ipſis ſuccederet: id R. Patri eveniſse certum eſt: prædeterminantem gratiam quantis animis propugnandam ſuſceperat! ſed quod doleat, nullo operæpretio : pari auſu, ſed non

Digitized by Google

diſſimili ſucceſsu adverſarios aggreditur, & ſi titulo credas, ultimum ſcientiæ mediæ, ut ipſe ait, aſylum, hoc eſt, decretum indifferens, expugnat validè, & funditus evertit, in voto ſcilicet: nam in re ne impugnat quidem, ſed aliud longè diverſum, quod nos quoque junctis viribus ex ſcholâ noſtra expellimus, quod ne magnificentiùs quàm veriùs à me quis dictum putet, hominis conatum bona fide hìc primùm repræſento.

CAPVT I.

Quale decretum nobis affingat.

DEcretum quod ſibi ad impugnandum proponit ſic ipſe deſcribit, ut velit eſſe determinationem voluntatis divinæ, quà Deus ſe exhibet paratum ad concurrendum indifferenter cum causâ ſecundâ liberâ ad conſenſum *v. g.* vel ad diſsenſum, ſi voluntas illos elicuerit, quod pro jure ſuo ſic il-

le

Digitized by Google

le interpretatur, ut velit Deum expe-
ctare actionem arbitrii creati, quâ ex-
citatus determinetur ad influendum
in actum jam poſitum; unde quinque
demonſtrationes affert quibus hoc ge-
nus decreti funditus evertat: 1. qui-
dem: *quia eſt implicatorium, cum Deus
vi illius ſit in actionem voluntatis crea-
tæ, ut extra eam poſitam influxurus*, quia
inquit, juxta nos hujuſmodi decre-
tum determinat Deum ad hunc, vel il-
lum actum conditionatè, ſi voluntas
concurrere voluerit. ita pag. 41. & 42.
2. idem demonſtrat: quia illud decre-
tum conditionatum eſt impoſſibile,
cujus conditio eſt impoſſibilis: atqui
iſtius conditio, nempe actio creaturæ,
eſt impoſſibilis: nequit enim voluntas
illam elicere ſine hujuſmodi decreti
influxu: ergo &c. ita pag. 58. 3. de-
monſtratio eſt: quia tale decretum eſt
nugatorium, quippe quod hunc ſen-
ſenſum faciat: cōcurrerem cum volun-
tate, ſi cum illâ concurrerem: 4. pe-
titur ex doctrinâ prædeterminantium
propriâ, nempe inquit, ſequeretur
per tale decretum omnipotentiam non-

Digitized by Google

determinare actûs poſitionem, ſed potiùs ab actûs poſitione determinari, ac ſolvi decreti & omnipotentiæ indifferentiam. Denique repugnare ait tale decretum, quia per illud Deus ageret præter intentionem, ac proinde fortuitò, coeco, & ſtulto modo.

Vides, amice Lector iſtum Patrem decretum nobis affingere conditionatum, conditione, cujus exiſtentia & poſitio ab ipſo decreto pendeat, tumque demonſtrationibus demonſtrationes coacervare, quæ illud funditus evertant: atqui R. Pater millies everſas licet tam abſonum, miſerumque decretum, ſtat nihilominus illæſum decretum indifferens, quod ſcientiæ mediæ aſſertores tradunt, ac tuentur: ergo quidquid hîc ſcribis, miſerè perdis: ecquis enim illud aut aliquando docuit, aut poſthac docturus eſt? mihì quidem ad cauſæ meæ defenſionem abundè eſſet, ſi, aut quod ultrò nobis videtur affingere pernegarem fortiter, & ad pœnam libri, quod aiunt, hominem provocarem, vel certè inanem authoris iſtius conatum riderem,

Digitized by Google

qui opinionem noſtram de decreto indifferenti ſcripto publico impugnandam ſuſcepit, cum ne ipſe quidem quæſtionis ſtatus, in quo ſit poſitus, noverit, ſed quoniam iſtud palmare eſt. Et in hac causâ decretorium, an videlicet, decretum illud conditionatum, quale iſte Author fingit, à nobis re ipsâ admittatur, duo aggredior, primùm numquam hanc ſcriptorum Societatis noſtræ mentem fuiſſe, ut monſtrum illud decreti admitterent; alterum naturam decreti indifferentis non eſſe de facto talem, ut conditionatum neceſſariò eſse debeat conditione quæ ab ipſo decretopendeat, quale eſse putat, aut eſſe optat R. P. Labat: quare ſiue hanc mentem ſcriptoribus noſtris tribuat, ſive decreti indifferentis naturam ſine tali conditione explicari non poſſe aſſerat, aut fingit, aut hallucinatur.

Digitized by Google

CAPVT II.

Falſò Societatis noſtræ Autoribus decretum indifferens, conditionatumque tribuitur, & cur à multis conditionatum appelletur.

QVoniam per omnes Authores excurrere infinitum eſſet, unum Suarem profero, quem ipſe citat, quique ſi ad ſolum verborum ſonum attendas, omnium maximè adverſario in hac cauſâ favere videatur; deinde licet inter cæteros ſit aliqua in explicando iſto decreto diverſitas, vix tamen unum aliquem invenias, quem ex aliis capitibus probare poſſis decretum illud conditionatum admiſiſſe, quàm ex quibus ipſi Suari tribuendum coniicitur: hos tamen omnes antequam in uno Suare ab illius decreti probro vendicem, unum præmoneo, fruſtrà ſcilicet adverſarium gloriaturum fuiſſe quaſi de profligato decreto indiffe-

renti, quamvis vel à Suare, vel à paucioribus aliis traderetur, quale ipſe fingendo imaginatur, ſic enim Authores noſtros quanta quanta ſit illorum apud nos ingenii, doctrinæ, & exercitationis commendatio, ſic inquam illos veremur, ſic ſuſpicimus, ut ſine veniæ præfatione non deſeramus modò, ſed etiam liberè impugnemus, ſi quid ab illis non ſatis probabiliter dictum occurrerit, non enim coeco modo imus quò itur, ſed quò eundum eſt diligenter expendimus, nullius privati Doctoris, qui canonicus non ſit, authriotatem ita obſtinatè ſequimur, ut ab eo recedere aliquãdo, vbi præſertim cum paucis ſentit, relligioni ducamus; nulli ita ſervitutem juramus, ut in illius ſententias omnes pedibus potius quàm capite eamus, & ingenio judicioque noſtro vim inferri non mediocrem patiamur, ut quicquid à quovis alio ſcriptum fuerit, continuò ingenium miſerè torqueamus, & rationem evertamus omnem, ut cum ratione dictum nobis & aliis ſuadeatur, quamvis itaque pauci illud decretum conditiona-

tum, cujuſmodi à Patre Labàt deſcri-
bitur admiſiſſent, ejuſque falſitas ab
iſto Authore demonſtraretur, nihil ta-
men efficeret contra ſcientiæ mediæ
aſſertores, quippe qui decretum indif-
ferens independenter à tali conditio-
ne tueri poſſunt, & de facto tuentur
omnes: ſed non eò redigimur, ut fa-
teamur aliam longè eſſe jam apud nos
de decreto indifferenti ſententiam,
quàm quæ à majoribus accepta ad nos
uſque quaſi per manus eſt derivata:
agedum in uno Suare rem probemus,
quo quid facilius?

Docet ſiquidem Suares cap. 14. lib.
1. c. 6. de concurſu Dei in opuſc. hoc
ipſo quòd per voluntatem ſuam Deus
omnipotentiam applicuerit, perpe-
tuò manere ad influendum proximè
applicatam, *atque ita intimè, & con-
venienter, ut in ipſum operis initium in-
fluat, ita ut nec mente concipi, aut præſ-
cindi poſſit aliquod momentum, aut ſig-
num in quo actio procedat à voluntate
creatâ, & non à divinâ potentiâ*: atqui
R. Pater, ſi Deus expectaret actio-
nem arbitrii noſtri, *nec influeret, niſi*

Digitized by Google

priùs poſitâ ut ais pag. 53. *creatæ voluntatis operatione*, falſo falſiùs eſſet, *Deum in ipſum operis initium influere, ita ut nec mente concipi, aut præſcindi poſsit aliquod momentum aut ſignum, in quo actio procedat à voluntate creatâ, & non à divinâ potentiâ*, quæ ſunt verba Suaris: ergo non docuit Suarez ſaltem expreſsè *decretum indifferens ſic eſſe conditionatum, ut expectet actionem arbitrii, nec influat niſi priùs poſitâ creatæ voluntatis operatione*, cùm certum ſit oppoſitum docuiſſe: equidem video ab Adverſario ut malé ſuſceptam accuſationem tueatur reponi poſſe, Suarem ſibi hac in parte minimè cōſtare, & in uno loco deſtruere, quod in altero aſtruit, ſed æqui bonique conſulet quiſquis hoc reponat, ut longè aliud nos de tanto Viro in re non admodū impeditâ ſentiamus, donec nova argumenta fidem faciant: deinde quæ in illo Autore ſuſpicionem hanc movere poſſent ſic diluam, ut nullus futurus ſit prudenti dubitationi locus, priùs tamen quàm hoc ſuſcipiam.

Aliud ab eodem Suare teſtimo-

nium profero, quo manifeſtè evincitur numquam eam Authoris iſtius mentem fuiſſe, ut decretum indifferens ex operatione voluntatis noſtræ tanquam ex conditione prævia ad exercitium ſuſpenderet: etenim ſic vult *potentiam divinam voluntati creatæ offerri, & applicari per ſuum decretum, ut eo modo paratus ſit ad concurrendum cum illa ad actum quem ipſa effecerit, quo Sol ex natura ſua illo generali modo veluti expoſitus eſt ad concurrendum cum cauſis ſecundis, quæ ab illo pendent iuxta uniuſcuiuſque capacitatem, & modū*: atqui Solis influxus non expectat influxū cauſæ ſecundæ, nec pendet ab iſtius operatione tanquam à conditione, quamvis ratio, cur ponatur talis actio refundatur in cauſam ſecundam particularem potius quàm in Solem: neque enim lactuca lactucam potiùs quàm caulem producit: quia Sol cum ipſa agit, ſed potius Sol lactucam producit quia agit cum lactucâ à quâ ſuo modo determinatur.

Sui ſemper ſimilis eamdem doctrinam tradit in metaphyſicâ, diſp. 22. de

de concurſu cauſæ primæ cum ſecundis, ſect. 4. à numero 10. ad 29. ubi ait debere hunc concurſum ita offerri, & per talem voluntatem cauſæ primæ, ut eo ſic poſito adhuc ſit in poteſtate cauſæ ſecundæ cum eo liberè operari vel non operari: res fiet manifeſta poſtquam ea diluero, quæ ſuſpicionem cuipiam ad ſolum verborum ſonum attendenti movere poſſent, ne re ipsâ decretum Suarez admiſerit, quale illi ab Autore iſto tribuitur.

Qui contra Suarem accuſationem illam inſtituunt, illius verba proferre poſſunt, quibus cauſam ſaltem apud imperitos obtinuiſſe videantur: nam Suarez ſæpe tum in metaph. loco ſuperiùs citato, tum in opuſculis, decretum indifferens vocat *conditionatum*: vi illius ſic Deum paratum eſſe ad agendum, ut ipſe influat, ſi voluntas ſe determinet ad agendum, vel ſi ipſa agere velit: pendere à noſtrâ determinatione tanquam à conditione: expectare noſtram determinationem. Hinc autem videtur effici noſtrum influxum eſſe veram conditionem ad influxum

Dei, eamque antecedentem, cùm illam expectet Deus: en ſummâ fide quidquid ab operibus Suaris decerpi poteſt ad quærendam ſuſceptæ contra illum accuſationi fidem, quod totum quàm inane ſit ut oſtendam.

Contendo hinc imperitè omninò inferri decretum tam abſonum; norunt ſiquidem omnes, quotquot verborum uſum, & loquendi modum apud homines familiarem non prorſus ignorant ex ſermonis conſuetudine hæc verba: Deus concurret *ſi voluntas agat, ſi velit, ſi ſe determinet*, hæc, inquam, verba in negotio noſtræ libertatis ſignificare facultatem aliquid faciendi, vel omittendi pro arbitrio: ita quotidiè dicimus nihil magis amore liberum eſſe, quoniam ſi volumus amamus, ſi volumus non amamus, neque tamen volitio amoris eſt conditio ad amorem, cum ſit ipſe amor, neque prærequiritur ad amandum volitio diſtincta ad amorem; ipſe Aug. ut explicet quid ſit aliquid eſſe in noſtrâ poteſtate, non aliter loquitur: *illud*, inquit, *eſt in noſtra poteſtate quod faci-*

mus ſi volumus, *& non facimus ſi non volumus*: atqui ipſa volitio eſt in noſtrâ poteſtate, ut ipſemet aſſerit Aug. ergo fit ſi volumus, & non fit, ſi non volumus: quis autem in Theologiâ Auguſtini adeo nouus, ut auditis hiſce vocibus continuò exclamet malus interpres, ex Aug. volitionem præ-requiri tanquam conditionem ad volitionem, & illicò cum R. Patre Labat quinque demonſtrationes contra doctrinam D. Auguſtini nouus demonſtrationum artifex ædificet, per vrbis compita omnia circumferat, & obuios quoſque compellando interroget, num legerint, audiverint, emerint quinque ſuas ipſius demonſtrationes? atqui mutato nomine de te R. Pater fabula narratur, legis apud Suarem: Deus agit *ſi voluntas agit*, & ecce ſtatim exclamas decretum conditionatum quale deſcribis, ab illo autore admitti, & fabricator non imperitus quinque protinus cudis demonſtrationes, quas per domos primùm manu ſcriptas circumfers, adverſariis paſſim quaſi grandem plagam intentas, ubi-

que jactas magnificè, & tandem juris publici factas, opportunè importunè ad legendum, ad emendum proponis.

Supremum illius voluntatis noſtræ in ſuos actus dominium ipſa Scriptura ſimiliter explicat Eccl. 15. *ſi volueris mandata mea ſervare, ſervabunt te*, an putas ad ſervandum mandatum amoris *v. g.* requiri volitionem tanquam conditionem, quia Scriptura dicit, ſi volueris mandata ſervare, &c. Iterum *appoſui tibi ignem, & aquam, ad quod volueris porrige manum*: hîc manum porrigere nihil eſt aliud quàm velle, an propterea dicemus ad volendum prærequiri ut velimus, quoniam nos Deus admonet, ut ad quod voluerimus, porrigamus manum, hoc eſt velimus: nemo qui ſupra infantiam ſapiat, non intelligit, nemo non ſentit, quod ab Aug. de gratiâ, & lib. arbitr. cap. 12. de illis locis ſcriptum legimus: *ecce hîc apertiſsimè videmus expreſsum noſtræ voluntatis arbitrium*: non igitur, conditionem propriè, ubi de libertate ſermo eſt, hæ voces, *ſi*

velis, *ſi concurras* ſignificant, ſed dominium voluntatis, quæ ad alteram partem ſe pro arbitrio flectit: quæramus ab Aug. quæ ſit his vocibus; *cùm volumus*, *ſi volumus*, ſubjecta vis & notio, quando voluntati tribuuntur reſpectu earum rerum, quæ immediatè ejus ditioni ſubjiciuntur: id totum ſtatim ex illâ pervagatâ ſancti Doctoris propoſitione intelliges: *voluntas*, inquit, (id eſt volitio) *eſt in noſtrâ poteſtate, quia ſi volumus eſt, ſi nolumus non eſt:* en voluntatem eſſe in noſtrâ poteſtate, & eſſe, ſi volumus, & non eſſe ſi non volumus idem eſt, diverſo modo expreſſum: ſi cuique pro arbitrio licet verba Autorum in ſenſus alienos, & abſonos per fas, & nefas trahere, commodè ſe ſe offert illa Aug. propoſitio in quâ ludat, & audaciæ ſuæ periculum faciat, nam quid procliviùs quàm cum Patre Labat ſic propoſitionis illius falſitatem demonſtrare, *videlicet* ex nugaci repetione: *illa propoſitio eſt nugatoria, ſi hunc reſipiat ſenſum:* voluntas eſt, in noſtrâ poteſtate, quia ſi eſt, eſt, ſi non eſt, non eſt: *atqui*

Digitized by Google

hunc ſenſum reſipit : ergo, &c. *Minor verò evincitur ex natura prædictæ propoſitionis*; nam evidens eſt, hoc ipſo quòd volumus, voluntatem eſſe, ſiquidem velle eſt voluntatem, ſeu volitionem eſſe : ergo qui dicit ſi volumus dicit ſi eſt in nobis volitio : ergo voluntas eſt in noſtra poteſtate, quia ſi volumus eſt, ſi nolumus non eſt: idem eſt, ac ſi dicerem : quia ſi eſt, eſt, ſi non eſt, non eſt : componat ergo R. Pater Labat hunc loquendi modum non plebeis ſolùm. Sed Auguſtino, ſed Scripturæ familiarem, hunc inquam, componat cum rectâ ratione, idque citra nugacem illam conditionem, quam, ut tuo verbo utar, *reſipit*, illa propoſitio, & pari facilitate, ego quoque modos illos loquendi Suari in ſimili materiâ familiares ab ineptâ repetitione, & ab omni abſonâ conditione vindicabo : ſtet itaque apud viros eruditos, qui uſum loquendi hominibus uſitatum, & communem norunt, propoſitiones iſtas : voluntas eſt in noſtrâ poteſtate, quia ſi volumus eſt, ſi non volumus, non eſt: concurſus Dei generalis eſt in no-
Digitized by Google

ſtrâ poteſtate : quia ſi volumus eo utimur, ſi nolumus, non utimur, & ſimiles, quæ fieri ſolent ad explicandam determinationem ad agendum penes voluntatem eſſe, eique tribui, cur ſit actus potiùs quàm non actus, ſtet inquam, hujuſmodi propoſitiones non eſſe propriè conditionatas, ſed facultatem illam ad utrumlibet pro arbitrio determinatricem explicari ſolitam eſſe per conditionem : qui loquendi uſus à rebus externis, quæ â libero volũtatis imperio pendent, & pro vario dominatricis illius facultatis nutu vel oriuntur, vel intereunt, proficiſcitur : nam cum non tam intelligamus omnes, quàm ſentiamus motum pedis *v. g.* vel manus, vel linguæ eſſe in noſtrâ poteſtate : quia ſi volumus, movetur pes, manus, &c. ſi non volumus, non movetur, ab iſtis, & ſimilibus quæ mediatam dumtaxat habent libertatem, ad ipſos voluntatis actus, qui immediatè liberi ſunt, gradum facimus, & ut in poteſtate voluntatis poſitos eſſe oſtendamus, ductâ metaphorâ à rebus externis, in quibus vera conditio

ſignificatur , eumdem loquendi modum ad actus internos transferimus, in quibus tamen deficit illa conditio : quare perinde dicimus volitionem eſſe in noſtrâ poteſtate, quia ſi volumus eſt, ſi nolumus non eſt, ac dicamus motum pedis eſſe in noſtrâ poteſtate quia ſi volumus eſt, ſi non volumus, non eſt : accuſet itaque Adverſarius Auguſtinum, accuſet ſacros codices, accuſet quotquot ſapiunt, aut certè accuſare deſinat Suarem, quaſi admiſerit decretum indifferens ab influxu noſtro pendens, tanquam à conditione : quia dixit vi talis decreti Deum ſic paratum eſſe ad agendum, ut ipſe influat, ſi voluntas ſe determinet ad influxum ; etenim quid ni liceat Suari, cæteriſque Societatis noſtræ ſcriptoribus familiari loquendi modo ſcripturæ, Aug. & cunctis mortalibus uſitatiſſimo? aut cur, amabo, apud Aug. conditionem non *reſipit*, ſecus verò apud Suarem? an nobis quærenda nova vocabularia? an novæ voces inſtituendæ, quibus res omnibus jampridem nota uni P. Labat exponatur?
conſule

conſule non reconditioris doctrinæ viros, ſed ex mediis compitis plebeios, eoſque interroga, quid ſibi velint ipſi, dum dicunt, ſi velim, hoc faciam, ſi nolim, hoc non faciam, & docebunt eò verba illa ſpectare, ut ſignificent, id quod loquuntur ab ipſorum nutu pendere, ſe hujus-ce rei dominos eſſe, id in poteſtate ſuâ habere, & non vidit P. Labat, aut non videre finxit, quod cæteri vident! totum iſtud ratiocinium brevi hac complexione repræſento: ex Aug. (qui procul dubio noverat, quæ vis in communi loquendi uſu ſubjecta eſſet iſtis vocibus) ex Auguſt. inquam, lib. de Spiritu, & littera, cap. 31. *hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult, non facit*: cum ergo ex eodem Aug. lib. 3. de libero arbitr. cap. 3. nihil tam in noſtrâ poteſtate, quàm ipſa voluntas ſit, idem erit ex communi modo loquendi volitionem eſſe in noſtrâ poteſtate, ac poni volitionem ſi velimus, ſi non velimus non poni: nemo autem ita inſanit, ut credat ad volendum prærequiri tan-

Digitized by Google

quam conditionem, ut velimus: ergo à pari Dei concurſum eſſe in meâ poteſtate, erit Deum concurrere, ſi ego velim, & non concurrere, ſi ego nolim: ergo à primo ad ultimum, ut in communi loquendi modo volitionem eſſe in noſtrâ poteſtate, quia ſi velimus ponitur, ſi non velimus non ponitur, non ſignificat conditionem aliquam, ſed rem abſolutam, nempe dominium in noſtros actus explicat ad inſtar rei ex conditione aliquâ ſuſpenſæ, ſic propoſitio iſta Suaris, & ſimiles: Dei concurſus eſt in meà poteſtate quia illum ponet ſi velim, non *reſipit* conditionem, neque eſt aliquid propriè conditionatum, ſed ſignificat aliquid abſolutum, nempe dominium, quod voluntas habet ſupra influxum, tum ſuum, tum divinum, quo divinâ bonitate ſe naturæ ipſius accommodante, poteſt uti, & non uti pro arbitrio.

Suam illam mentem Suarez rem intelligere volenti ſatis per ſe explicat, dum eodem 1. lib. de concurſu Dei, quærẽs cur potiùs determinatio actionis tribuatur cauſæ ſecundæ, quàm primæ, cùm ab utraque fiat, reſ-pondet *id*

Digitized by Google

oriri : quia ex libertate cauſæ ſecundæ dependet talis determinatio, non autem ex libertate Dei poſito decreto ſuo, quãvis eam determinationem non efficiat ſine concurſu primæ cauſæ, nec ſimpliciter, nec in aliquo ſigno naturæ vel etiã rationis; ut ſæpe dictũ eſt : tum n. 7. c. 15. in eũdem ſenſum explicat eos, qui dicunt cauſam ſecundam priùs naturâ, concurrere ad actionem quàm Deum in genere cauſæ materialis : hoc eodem ſenſu ait voluntatem noſtram ex ſolâ ſuâ indifferentiâ inchoare actum, quando, & qualem vult, quamvis, inquit, eam determinationem non efficiat ſine concurſu primæ cauſæ neque ſimpliciter, neque in aliquo ſigno &c.

Agnoſce itaqe, Lector, ideò ab Autoribus noſtris paſſim vocari decretum indifferens conditionatum, quoniam familiari ſermonis uſu voluntatis dominium in ſuos actus Docti & Indocti per conditionem pariter explicare ſolent, quamvis in eo nulla propriè ſit conditio : unde nec vocat illud decretum Suarez ſimpliciter conditionatum, ſed paſſim *quaſi*

Digitized by Google

conditionatum, nec pendere ait à noſtrâ determinatione tanquam à conditione, *ſed quaſi conditione*, nec denique propriè Deum expectare influxum noſtrum ad influendum, *ſed quaſi expectare*: quæ ab illo ſunt dicta, quoniam reipsâ uſus, & exercitium decreti non pendet à conditione, quæ ab ipſomet decreto pendeat, voluntatis tamen poteſtas in uſum talis decreti per conditionem ſignificari ſolet, quoniam ea eſt, ut perinde ſuſpendat influxum cauſæ primæ, vel ad agendum impellat, ac ſi determinatio voluntatis eſſet aliquid præuium, quâ poſitâ poneretur, & ſublatâ tolleretur Dei influxus: ex quo etiam fit, ut expectare, aut potiùs quaſi expectare dicatur Deus determinationem noſtram, non quidem eo ſenſu, quem pro ſuâ humanitate nobis affingit Adverſarius, ſed longè diverſo, quo id unum volumus, Deum ſcilicet non determinare ad actum voluntatem noſtram, ſed ipſum à voluntate determinari, unde perinde otiatur, ut ita dicam, omnipotentia diuina, donec voluntas ſe de-

terminet, ac ſi expectaret à nobis aliquid priùs poni, quo ipſe ad agendum excitaretur: quoniam penes nos eſt divinum illud otium vel protrahere, vel abrumpere, dicitur Deus expectare, aut quaſi expectare influxum noſtrum, ut ipſe influat; quid autem hac in parte indignum Theologo? quid quod cum communi Sapientum ſenſu non conſentiat? quidvel à ratione, vel à receptiſſimo loquendi uſu, vel à Scripturæ authoritate alienum?

Scripturam commemoro, quoniam Scripturæ etiam familiaris eſt ille loquendi modus: ita Iſaiæ cap. 3. *expectat Dominus, ut miſereatur noſtri* &c. hoc eſt Dominus poſtquam gratiâ excitante nos ad pœnitentiam vocavit (fruſtrà enim ante excitatam per gratiam voluntatem nos expectaret, cùm ſine illâ nobis impoſſibilis ſit converſio ad Deum ſalutaris) expectat aſſenſum noſtrum, aut pœnitentiam, quâ ad illum convertamur, cum tamen ipſe aſſenſum & pœnitentiam producere debeat: audi Hieronimum in illud Iſaiæ caput: *grandis*, inquit, *clemen-*

Digitized by Google

tia Dei, ut expectet pœnitentiam noſtram. Rurſus ſapiens 11. *Quid debui facere vineæ meæ, &c. expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruſcas*, hoc eſt, expectavi ut à me vocatus per gratiam amaret, & odio habuit, Deus tamen producit amorem illum, ergo expectat influxum creaturæ, ut ipſe influat, quod nihil eſt aliud quàm penes voluntatem eſſe ſe determinare, ut ſæpiùs dixi: plura referre in re tam certà ſupervacaneũ, aut certè non neceſſarium.

Ne tamen in uno Suare videar hæſiſſe, ex ſcriptoribus Societatis noſtræ aliquos profero, qui decretum ab influxu noſtro tanquam à conditione ſuſpenſum non modò non admittunt, ſed etiam eodem argumento rejiciunt, quo impugnatur à P. Labat.

Paucos ex multis profero: ita igitur Oviedò in ſuo curſu Philoſophico controverſia 1. puncto 4. ita Comptonus Philoſophiæ ſuæ pag. 321. ita Arriaga D. phyſ. 1. pag. 343. Martinonus, diſp. 34. ſect. 4. n. 43. & alii non pauci quos prætereo.

Digitized by Google

CAPVT III.

Falſum eſt decreti indifferentis naturam eam eſſe ut conditionatum eſſe debeat, ac ſimul explicatur quale ſit & exiſtere probatur.

HActenus tam inſulſi decreti ſuſpicionem à Suare removi, ſed causâ tamen cecidero niſi probem non eſſe talem decreti indifferentis naturam, ut à nobis explicari non poſſit niſi tandem ad illa incommoda devolvamur, quæ in eo explicando vitari nequaquam poſſe vel optat, vel fingit Adverſarius, rem aggredior.

Dari decretum indifferens nihil eſt aliud, quam dari actum voluntatis divinæ, quo voluntati creatæ ita exhibeat Deus omnipotentiam ſuam ad agendum, ad amorem A *v. g.* & ad odium B, ut penes voluntatem ſit uti omnipotentia ad utrumlibet, ita ut quando ponetur amor, vel odium, ra-

tio cur ponatur, vel non ponatur tribuatur voluntati, quæ ſe ad illam partem determinavit: atqui datur talis actus in Deo: ergo datur decretum indifferens: prima propoſitio continet doctrinam in ſcholis noſtris communem, licet non iiſdem verbis à ſingulis explicetur, neque enim verborum aucupes ſumus, aut in formulam aliquam conceptis verbis religiosè expreſſam juravimus: dari autem in Deo huiuſmodi decretum contendimus, quoniam hinc quidem nihil includit Deo indignum, nihil in ſe repugnans, illinc verò eſt cauſæ liberæ apprimè accommodatum, quod unum ferè in efformandis hujuſmodi decretis quærimus omnes, quæ omnia ut confirmentur magis.

Obſervandum eſt volunatem illam quam Deo tribuimus duo efficere: 1. quidem per illam conjungitur omnipotentia divina cum voluntate noſtrâ ad producendum communi influxu unum eumdemque actum, amorem *v. g.* ex iſto autem capite præcisè non repugnare fatebũtur ultrò Adverſarii, cùm

cùm nemo feré ſit inter Doctores catholicos, qui non admittat in Deo voluntatem aliquam, ſeu decretum, quo ſuam nobiſcum omnipotentiam conjungat ad operandum per communem actionem: hactenus convenimus omnes: ſed ecce ſtatim diſſidium: nam voluntas illa, quâ Deus creaturæ liberæ omnipotentiam ſuam conjungit, in noſtrâ ſententiâ talis eſt, ut per illam, paratam quidem habeamus omnipotentiam divinam ad agendum nobiſcum, ſic tamen, ut penes nos ſit determinatio ad actionem, quam pro arbitrio voluntas ſic ponit, vel non ponit, ut illi tribuatur ratio, cur ponatur, quod nihil eſt aliud quàm voluntatem eſſe dominam actionis; atque adeò ita per decretum illi omnipotentiam exhiberi, ut penes nos ſit eâ uti, vel non uti, ſeu, quod eôdem recidit, penes voluntatem noſtram eſſe determinare omnipotentiam ad agendum, non viciſſim: id enimverò concoquere non poſſunt Thomiſtæ, ſed ex quo capite repugnet neque ego video, neque ipſi proferre poſſunt.

Digitized by Google

Nam primò in univerſum non repugnat duas cauſas, quæ ſimul agant, ſic tamen concurrere, ut uni tribuatur ratio cur ponatur actio, & non alteri, ſeu una determinet alteram, à quâ viciſſim non determinetur, hoc ipſum fateantur oportet Thomiſtæ in ſuâ ſententiâ: nam prædeterminatio determinat voluntatem, à quâ voluntate ipſa præmotio non determinatur: ergo in univerſum non repugnat duas cauſas ſic in ordine ad agendum conjungi, ut una alteram determinet ad actionem, à quâ viciſſim ipſa non determinetur.

Secundò non repugnat etiam voluntatem conjungi cum alterâ causâ, quam voluntas determinet ad agendum, nec tamen viciſſim ab illâ determinetur; uno ſiquidem, eodemque influxu cum habitu tum naturali, tum ſupernaturali pleroſque ſuos actus voluntas producit: neque tamen habitui tribuitur cur ſit actio, ſed voluntati habitum ad agendum determinanti.

Tertiò hinc ad omnipotentiam gradum facio, & contendo non magis re-

pugnare ita illam conjungi cum voluntate noſtrâ ad agendum, ut ratio cur ponatur actio, tribuatur voluntati, à quâ determinetur omnipotentia, non viciſſim omnipotentia voluntatem determinet, præſertim cum hoc totum nihil ſit aliud, quàm actionem eſſe in poteſtate, & dominio voluntatis, eamque pro arbitrio ponere, & non ponere, ita ut ratio cur cauſa completa agat vel otietur in voluntatem refundatur, quod libertatis adeò proprium, ut qui hanc illi prærogativam negaret, ipſam utique libertatem perimeret, cùm ejus natura ſit ad utrumlibet pro arbitrio ſe flectere: quæ cùm ita ſint ſic jam reſumo.

Quamvis præmotio phyſica juxta Thomiſtas voluntatem determinet, & influat, ut communiter docent, unà cum voluntate ad amorem *v. g.* communi indiviſibiliter influxu; quamvis voluntatem excitet ad agendum, & ſit prima radix actionis, &c. non ſequitur tamen voluntatem, quæ excitata & determinata operatur, actum agere; non ſequitur concurſum præ-

Digitized by Google

determinationis priùs poni, & conſequenter ad ejuſdem prædeterminationis concurſum, influxum voluntatis; non ſequitur eũden prædeterminationis concurſum eſſe conditionem ad influxum voluntatis quo cum idemtificatur etiã juxta Thomiſtas: denique non ſequuntur cætera illa incommoda, quæ ab opinione noſtra fluere imaginatur adverſarius, & tamen perinde voluntati quaſi expectandus eſt influxus prædeterminationis, ut ipſa agat, ac expectanda ſit omnipotentiæ divinæ voluntatis noſtræ operatio: ergo unam cauſam determinare aliã, ſi nihil aliud addatur, non arguit iliadem illam incommodorum quam timet, aut luget R. P. Labat; nec conditionem infert ullam ex quâ ſuſpendatur alterius concauſæ influxus, aut certè ex alio fonte fluat neceſſe eſt quem videbimus an referet aliquem.

Similiter de habitu argumentor: habitus ita influit cum voluntate per unum eumdemque influxum, ad actus noſtros, ut ipſe ad agendum determinetur per voluntatem, quæ radix eſt

Digitized by Google

actionis, ita ut agat, vel otietur pro arbitrio voluntatis, cujus influxum quaſi expectat, & producat actus ſuos, ſi voluntas velit, non producat ſi non velit, & nihilominus habitus, quando influit, non actum agit, non propriè expectat influxum voluntatis, nec ſuſpenditur illius activitas ab iufluxu voluntatis tanquam a conditione vel concomitante, vel antecedente, &c. Ergo præcisè omnipotentiam determinari ad actionem a voluntate non inducit farraginem illam incommodorum, quæ per licentiam pœticam noſtræ opinioni tribuit adverſarius: quid ut commentis ſuis fidem aliquam faciat, ab ipſo afferatur, expendamus breviter.

Non placet adverſario comparatio petita ab habitu, & verò quî placeret, cum illius opinionis multùm incommodet, noſtræ autem plurimum faveat, hanc itaque ad augendam difficultatem, potius quàm ad explicandam aptam eſſe pronuntiat, atque, quoniam cum iis hominibus illi res eſt, quos non immeritò ſuſpicari poteſt, ægrè

Digitized by Google

id credituros, plura diſcrimina affert habitum inter, & omnipotentiam, quæ ſi hominem audis, evincunt comparatione illâ quæſtionem iſtam implicari, non explicari.

Primò ait habitum intrinſecè animam afficere, at omnipotentiam voluntati noſtræ eſſe extrinſecam: concedo equidem, ſed quid tum? nam duæ cauſæ ſimul ad eumdem producendum effectum communi influxu concurrere poſſunt, quamvis non ſint nexu phyſico inter ſe unitæ: poteſt pariter una alteram determinare ad agendum, quamvis nulla inter illas unio phyſica intercedat: ita planta determinat Solem ad producendam plantam, neque tamen Sol, & planta phyſico aliquo vinculo inter ſe colligantur, & in ipſa Thomiſtarum Scholâ præmotio phyſica juxta aliquos eſt qualitas vitalis, ab illuminatione, & inſpiratione nullatenus diſtincta, producitur tamen hujuſmodi illuminatio ab intellectu ſimul & ab omnipotentia, ita tamen ut ratio cur ponatur tribui debeat omnipotentiæ, non intel-

Digitized by Google

lectui, qui determinatur ad agendum ab omnipotentiâ, quæ animam non afficit intrinſecè: quod ſi à fratribus diſſidere malit R. Pater Labat, & ſentire cum aliis, qui docent præmotionem ſemper eſſe qualitatem quamdam mortuam, anima determinatur ab omnipotentiâ ad concurrendum paſſivè ad productionem præmotionis: quidni igitur ab eâdem omnipotentiâ determinari poterit ad concurrendum activè in producendâ aliquâ qualitate, quæcumque tandem illa ſit: hæc autem omnia quæ commemoravi evincunt, quando duæ cauſæ ſimul agunt, & altera alteram determinat, non eſſe neceſſe illas phyſicè inter ſe uniri: cujus rei ratio à priori eſt: quia unam cauſam ab altera ad agendum determinari, nihil eſt aliud, quàm ſimul agere, ita tamen, ut una ſit alteri ratio, cur agat: atqui hoc totum ſtat ſine unione inter illas cauſas, gratis quippe fingeretur talis nexûs neceſſitas, præſertim cum certum ſit Solem à plantâ ad producendam plantam determinari, cui procul dubio extrin-

Digitized by Google

ſecus eſt : denique Deus infundit nobis cognitiones & motus pios voluntatis, quos dicitur agere in nobis ſine nobis; quoniam quamvis activè ab animâ producantur, id tamen præſtet à concausâ ſuâ determinata, ſcilicet omnipotentiâ : cui bono igitur diſcrimen affert inter habitum, & omnipotentiam, quòd iſta voluntati extrinſeca ſit, habitus vero intrinſecus ratione phyſicæ unionis, quâ voluntati connectitur, cum perinde poſſit una cauſa alteram ad agendum determinare ſivè uniantur, ſivè nullum inter ipſas intercedat vinculum?

Alterum addit paris omninò roboris diſcrinen : *habitus*, inquit, *& facultas cui unitur, non gerunt propriè vices alicuius cauſæ totalis, aut partialis, ſed ſe habent tantùm ut unica cauſa in actu primo perfectè completa :* hæc ſi quis intelligat, aut certé inter ſe conciliabit, eum ego alterum OEdipum facilè crediderim, aut certè, ad explicanda perplexa quæque ænigmata præcipuo quodam munere à naturâ donatum : hactenus audiveram habi-

tum & voluntatem eſſe veram cauſam actuum quos producunt: quòd ſi veræ cauſæ vices gerunt, & implent, ut nemo unquam negavit, profectò vel totalis ſit, vel partialis oportet, cum non detur alia: deinde *ſe habent tantum*, inquit, *ut unica cauſa in actu primo perfectè completa:* atqui eſſe unicam cauſam, eamque completam eſt eſſe cauſam totalem, quippe quæ ſi unica ſit, agit ſine conſortio alterius, & producit totum effectum: concilia iſta, ſi poſſis, ſed fac inter iſta iniri aliqua pax poſſit; quid tum? *hinc fit*, inquit, *ut ex illis coaleſcat unum indiviſibile principium formaliter, in quo non eſt ſecernendum id quod eſt ex voluntate, & id quod eſt ex habitu: quia nulla eſt in actione formalitas, quæ procedat à voluntate creatâ, & non etiam ab habitu:* cujus doctrinæ ratio apud illum hæc eſt: *quia voluntas non poteſt ſine habitu agere, nec habitus ſine voluntate:* quantam hinc hallucinationum ſegetem!

Videtur ſupponere Pater, aut nobis tribuere Philoſophiam ſanè mirabilem, nempe in actione creatâ diſtin-

Digitized by Google

gui id, quod voluntas noſtra producit, ab eo, quod ponit omnipotentia divina, quaſi vèrò effectum inter ſe partiantur, & quælibet pro ſuo munere medietati ſuæ producendæ incumbat: quâ in re mihi planè videtur ſapere Autor iſte cum anili illâ, quæ ut fama refert, cum de emendâ ove cum vicinâ communibus impenſis conveniſſet: alteram oviculæ partem ſociæ eam petenti permittebat quidem mactandam, ſed medietatem ſibi obventuram ſe neci tradere velle negabat: non minùs ſanè ridenda foret illa philoſophia, vel potius anilis fabula, quâ quis ſibi fingeret partem operationis Deum ſibi vendicare, & alteram voluntati integram, illibatamque relinquere: apage illa vetularum deliramenta, indigna quæ in ſcholis audiantur, nedum refutentur, hoc tamen vel ſupponit tanquam ſuum, vel nobis tribuit tanquam noſtrum, cui hoc unum repono, quod Hieronimus cuidam hominum generi, qui Origeni portenta errorum potiùs quàm errores tribuebant: *atqui* inquit Hieroni-

Digitized by Google

mus, *non inſaniebat Origenes, hoc ego ſcio*: optimum bonæ cauſæ argumentum eſt, figmentis impugnari.

Deinde proprium jugulum petit Adverſarius, dum ait, ideo voluntatem, & habitum uno & indiviſibili influxu agere, quia nec voluntas ſine habitu, nec habitus ſine voluntate agere poteſt, id enim totum omnipotentiæ per decretum jam applicatæ convenit; illa quippe nec abſque voluntate amorem *v. g.* nec viciſſim voluntas abſque omnipotentia producere poteſt. Denique omnipotentia voluntati per decretum applicata, ſe habet ut unica cauſa in actu primo perfectè completa non minus quàm habitus, & voluntas, inane igitur tuum illud quod aſſignas diſcrimen.

Quare ſic ſtatuo fruſtra ab Adverſario quæri effugium, quo declinet vim argumenti ab habitus ſimillimâ comparatione petitam; vides itaque, erudite Lector, quàm gratuita ſint, quæ reponit, quàm malè ſibi conſtent, quàm ipſius cauſæ noceãt, quam noſtræ non obſint! vides Patrem, ut nos im-

Digitized by Google

pugnaret, in decreto conditionato ſibi finxiſſe hoſtem, quem nos quoque paribus armis è caſtris noſtris procul arceſſimus: ſupereſt itaque ut labente fundamento, cui magnifica illa demonſtrationum moles innitebatur, illius caſus iſtarum omnium ruinam trahat: juvat illas ſigillatim proponere, & ſingulis reſponſum ſubjicere.

CAPVT IV.

Proponitur prima Adverſarii in decretum indifferens demonſtratio, & ſolvitur.

PRima itaque Patris Labat demonſtratio ſic habet: illud decretum implicat, ſi Deus vi illius ſit in actione voluntatis ut extra eam exiſtentem influxurus: atqui tale eſt: ergo, &c. probat minorem ex naturâ decreti indifferentis, quod ex noſtrâ ſententia tale eſſe ait, ut Deum determinet conditionatè expectando actio-

Digitized by Google

nem arbitrii creati, ſi concurrere voluerit: R. negando minorem, & probationem illius, quæ ut vidimus ſupponit decretum indifferens eſſe conditionatum, quod nos eodem, cum autore iſto, argumento reiicimus: inſtari tamen poteſt ex illo: determinatio voluntatis creatæ ſolvit omnipotentiæ indifferentiam ad coagendum: ergo tunc ſe ad coagendum accingit omnipotentia cum jam à voluntate exiit actio, R. 1. retorquendo: voluntatis determinatio ſolvit indifferentiam habitus ad coagendum: ergo tunc ſe ad coagendum habitus accingit cum jam à voluutate exiit actio, atque adeo *ſolvitur ad concurrendum in actum ut iam exiſtentem, & egreſſum extra ſuam cauſam*: ſimiliter: prædeterminatio phyſica ſolvit indifferentiam voluntatis ad coagendum per ſuam determinationem: ergo tunc ſe ad coagendum accingit voluntas, cum jam à prædeteminatione exiit actio. R. 2. determinatio voluntatis ſolvit omnipotentiæ indifferentiam &c. Hoc eſt; voluntati tribuitur ratio cur omnipotentia

agat, ſeu voluntas eſt domina actionis, & penes illam eſt influxum ponere, & non ponere, concedo: hoc eſt voluntas ponit aliquid tanquam conditionem, ex quâ omnipotentia determinetur ad agendum, nego: nam ipſamet actio voluntatis eſt actio Dei. Inſtat: omnipotentiæ indifferentia ſemovetur per actionem creatam liberam: ergo illa actio creata antecedit hujuſmodi indifferentiæ ſolutionem. R. 1. retorquendo in habitu, & prædeterminatione, ut ſuprà R. 2. nego conſequentiam, quæ manifeſtè falſa eſt; nam ſolutio indifferentiæ, quæ eſt in omnipotentia, & actio creata voluntatis ſunt formaliter idem, neque ſolvitur omnipotentiæ indifferentia niſi per ſuam actionem indibiſibiliter ab utraque causâ pendentem, ita tamen ut dominium illius ſit penes voluntatem: fingit igitur Reverend. Pater dum putat priùs ſemovendam eſſe indifferentiam omnipotentiæ, tum illâ ſublatâ illam agere, cum illa duo non ſint duo niſi in mente iſtius autoris: ita non eſt priùs tolli indifferentiam quam

habet paries ad albedinem, vel nigredinem, quàm alterutram poni: nam hoc ipſo quod unitur parieti albedo, tollitur illa indifferentia, & paries fit albus: hæc ſunt prima in hac materia elementa: iterum tamen inſtari poteſt cum eodem Patre ſic: vel vitalis decreti omnipotentia determinatur ad influendum ante poſitionem actionis creatæ liberæ; vel conſequenter, vel concomitanter: primum tolleret libertatem actionis: ex ſecundo autem & tertio ſequitur Deum actum agere: ergo, &c. R. 1. Retorquendo, ut in cæteris: R. 2. n. majorem: perpetuò ſupponit, qui ſic objicit, aliud eſſe determinari ad actionem, & aliud poni actionem, & hîc ſemper errat: dico itaque actionem liberam voluntatis, neque eſſe aliquid conſequens, nec antecedens nec concomitans determinationem, quâ omnipotentia determinatur, & voluntas creata omnipotentiam determinat: idem enim non poteſt ſe ipſum aut antecedere, aut ſubſequi, aut concomitari: quare dico omnipotentiam ſolvi, aut determinari ad agen-

dum per ipſam actionem, quam ponit cum voluntate, & quidem per illam indiviſibiliter ſumptam, & non quatenus eſt à voluntate ſolùm: eadem itaque actio phyſicè ſumpta eſt id, quo voluntas ſe determinat, & quo omnipotentia determinatur: ratio autem cur cum ab utràque causâ ponatur tota illa determinatio, idque æquè primò, voluntati tamen tribuatur ratio cur ſit actio, & non omnipotentiæ eſt: quia cum voluntas ſit proxime libera ad agendum, non autem omnipotentia jam per decretum applicata, ſola voluntas habet dominium proximum in actionem, & penes ipſam ſolam eſt agere, vel non agere pro ſuo arbitrio: quæ ſemel dixiſſe ſatis fuerat niſi cum eo homine mihi controverſia eſſet, qui ad ea quæ præmotiones phyſicas evertunt, ægrè advertit.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT. V.

Proponitur ſecunda demonſtratio, & ſolvitur cum tertiâ.

SEcunda demonſtratio eôdem recidit cum primâ, quod ipſe agnoſcit adverſarius; ac proinde pariter abeat in fumum neceſſe eſt; ſic autem ipſe illam proponit: illud decretum conditionatum eſt impoſſibile, cujus cōditio eſt impoſſibilis: atqui conditio quam neceſſariò involuit huiuſmodi decretū, eſt impoſſibilis: ergo, &c. Minor probatur & *imprimis ſupponimus*, inquit. *Iuxta Molinã, Leſsium, Suarem, Annatum, & alios illud decretum eſſe indifferens, & conditionatum ſupponens actionem voluntatis tanquam conditionem, quâ præſuppoſitâ ſolvitur ad influendum eius indifferentia*: hoc autem præſuppoſito evidens eſt illam conditionem eſſe impoſſibilem. Agnoſco demonſtrationem bona fide, quid

enim diſſimularem, ſed lectorem monendum puto R. P. Labat in ea fabricanda partim more mathematicorum proceſſiſſe, partim etiam ab illorum receſſiſſe inſtituto: ſolent mathematici antequam quidquam demonſtrandum ſuſcipiant præmittere poſtulata, quæ eo nomine nuncupant, quoniam parùm de illorum veritate ſolliciti; illa tanquam vera ſibi permitti concedunt: ſunt autem ſæpe hujuſmodi poſtulata non modo evidenter falſa, ſed etiam ſæpe impoſſibilia: hanc mathematicorum diſciplinæ partem, imitandam ratus nouus iſte demonſtrationum artifex *ſupponit imprimis iuxta Molinam, Suarem &c. illud decretum eſſe indifferens & conditionatum ſupponens actionem voluntatis tanquam conditionem, &c.* Precarium habet fundamentum iſta tua demonſtratio R. Pater, quod poſtulare tu quidem potes, ſed à uobis pace tuâ dixerim, numquam obtinebis: ſi cum mathematicis proportionem aliquam demonſtrandam ſuſciperes, viro mathematicè agenti & aliunde humaniſſimo poſtu-

Digitized by Google

lata omnia vltrò concederemus , at Theologo de re graviſſima diſputanti nec licet rem manifeſtè falſam, ut probavi, ſupponere, nec nobis integrum eſt hanc illi concedere. Appendicem itaque ſuo Theologiæ complemento, niſi periturae chartæ parcere malit, addere poterit, in quà poſtquam non ſuppoſuerit, ſed ſolidè probaverit decretum indifferens, & ex mente ſcriptorum Societatis eſſe conditionatum, ut ipſe explicat, & ex naturâ ſuâ non poſſe ab illa conditione non eſſe ſuſpenſum, tum demum demonſtrationem ſuam circumferat ubique, & magnificè oſtentet, ſed, id donec præſtiterit, æqui bonique conſulet inter familiares ipſi hallucinationes, quibus quaſi luminibus ſuam illam elucubrationem diſtinguit, à nobis reponi.

Alterum ſolent mathematici, quod non inconſultò ab iſto Autore prætermiſſum puto: nimirum ex ſolenni formulâ in finem ſuſceptæ demonſtrationis addunt, *ergo, &c. quod erat demonſtrandum*: non inconſultò, inquam, id videri poteſt ab adverſario præter-

miſſum: nam cum *ultimum ſcientiæ mediæ effugium evertendum* ſibi propoſuiſſet: decretum indifferens conditionatum aggreſſus eſt, quale ſcientiæ mediæ aſſertores non modò non admittunt, ſed eodem argumento, quo à Patre Labat impugnatur, ipſi impugnant: mutanda ergo fuit ſolennis illa formula, & ſic appoſitè claudenda tua illa demonſtratio, *ergo impoſsibile eſt dari decretum illud conditionatum ſupponens actionem voluntatis, tanquam conditionem: quod non erat demonſtrandum.* Tertia demonſtratio cùm eodem omnino fundamento nitatur, pari quoque caſu ruat neceſſe eſt. Illud decretum, inquit, indifferens ac conditionatum eſt nugatoriũ, ſi hunc reſipiat ſenſum: concurrerem cum voluntate ad id quod ex illa proditurum eſt, ſi cum eàdem concurrerem: atqui hunc ſenſum reſipit: ergo, &c. minorem probat quia tali decreto paratur Deus ad concurrendum *v. g.* ad conſenſum, ſi ſe voluntas determinaverit ad illum: ergo, &c. R. negando minorem, ejuſque probationem, quæ ſupponit doctri-

nam quam nos eodem omnino argumento reiicimus, nempe decretum eſſe conditionatum, ita ut vi illius Deus ſit paratus ad influendum, dependenter tamen ab influxu noſtro tanquam à conditione, cum nullam hujuſmodi conditionem, ut ſuperius probatum eſt, involuat, ſed poteſtatem voluntati conceſſam utendi omnipotentiâ divina & non utendi ad amandum *v. g.* quam facultatem explicare ſolent Doctores cum Aug. & Script. imò cum omnibus, qui a familiari loquendi modo inter homines receptiſſimo recedere nolunt, per illam propoſitionem: concurret Deus ſi voluntas concurrere velit: ſed de his jam ſuperius pluſquam ſatis.

Digitized by Google

CAPVT VI.

Proponitur quarta demonſtratio & ſolvitur.

QVartum inconveniens, vt loquitur adverſarius, ſequitur ex decreto indifferenti, nempe inverſio ordinis cauſæ & effectus, cujus probatio ab illius libro pag. *66.* hæc colligi poteſt: effectus determinatio ſupponit ſuæ cauſæ præſertim primæ determinationem: atqui decretum indifferens evertit illum ordinem: nam poſito noſtro decreto effectus determinatio non ſupponit ſuæ cauſæ præſertim primæ determinationem: quia actio voluntatis eſt determinativa omnipotentiæ ad ſui productionem, non autem omnipotentia determinat poſitionem actionis: ergo tale decretum evertit ordinem cauſæ, & effectus: majorem probat: omnis effectus eſt ens per participationem, atque adeo ex ſe in-

differens ad exiſtendum, vel non exiſtendum: ergo expectat cauſæ primæ, & entis per eſſentiam determinationem, alioqui non eſſet ens per participationem, & dependens à causâ primâ: agnoſco autoris modeſtiam, qui noluit hîc tam inanè argumentum ſpecioſo demonſtrationis nomine inſignire, quo tamen illud alibi donavit quàm liberaliter: appellat itaque *inconveniens*, quo autem jure ſic apellet neſcio, nobis enim minime incommodum eſt, quia negamus majorem, quæ ſi admitteretur certò perimeret libertatem, ipſo autore Diuo Thom. qui lib. 2. ſentent. diſt. 25. q. 1. art. 1. hæc habet, *liberum arbitrium non invenitur in illis, quorum actiones non determinantur ab ipſis agentibus, ſed à quibuſdam aliis cauſis prioribus*: hanc eſſe ſancti doctoris mentem probo ex ejuſdem Doctoris autoritate: ideo ex D. Th. voluntas eſt libera: quia eſt domina ſuorũ actuum: atqui ut voluntas ſit domina debet ita determinari à ſe ut non determinetur ab alio: ergo ut ſit libera debet non determinari ab alio: major non

controvertitur à Thomiſtis: minor autem conſtat ex lib. 2. diſt. 39. q. 1. a. 2. ubi S. Doctor probat peccatum non eſſe in aliis potentiis à voluntate, niſi ut ab illâ imperantur, cujus rei hanc ipſe rationem reddit: *ratio culpæ*, inquit, *in actu deformi eſt, ex hoc quòd procedit ab eo, qui habet dominium ſui actus, hoc autem eſt in homine ſecundum illam potentiam, quæ ad plura ſe habet, neque ad aliquod eorum determinatur niſi ex ſe ipſâ, quod tantùm voluntati competit* unde ſic argumentor: ideo ex Divo Thoma hic homo habet dominium in ſuos actus, quia illius voluntas ſe habet ad plura, neque ad aliquod eorum determinatur niſi ex ſeipsâ: atqui ſi determinaretur à Deo, falſum eſſet non determinari niſi ex ſeipsâ: ergo non haberet dominium in ſuos actus, & quod conſequens eſt, non eſſet libera: confirmatur ex 1. contra gentes, cap. 68. ubi ait *dominium voluntatis in actus excludere determinationem ad unum, licet non influentiam cauſæ ſuperioris*: ergo influentia cauſæ ſuperioris, & determinatio

Digitized by Google

determinatio ad unum de quâ hìc loquitur S. D. non ſunt unum, & idem, & influit Deus cum voluntate non immiſsâ priùs in ipſam voluntatem determinatione illâ prò quâ defendendâ deſudat P. Labat: non urgeo pluribus ab illa prævia determinatione certum libertatis excidium exiſtere, quoniam nullus eſt, qui præmotionem phyſicam exagitet, qui telum illud in eam non vibret, ego autem defenſoris potius quàm aggreſſoris hìc perſonam ſuſtineo, mihique abundè eſt hominis conatum frangere.

Majorem, quam gratuitò & contra D. Thomæ apertam ſententiam aſſumpſit, inani pariter conatu confirmat: omnis effectus, inquit, eſt ens per participationem, & indifferens ad exiſtendum, vel non exiſtendum: ergo expectat cauſæ præſertim primæ determinationem: alioqui non eſſet ens per participationem & dependens à causâ primâ. R. Negando conſequentiam; nam ad hoc ut effectus aliquis ſit ens per participationem, & indifferens ad exiſtendum ſatis eſt, ut exi-

Digitized by Google

ſtat dependenter ab alio idque contingenter: atqui hoc totum habet actus liber hoc ipſo, quòd producitur à voluntate cum dominio actionis per influxum, qui indiviſibiliter pendeat tum à voluntate, tum ab omnipotentiâ divinâ: etenim hoc ipſo quòd per talem influxum producitur, exiſtit, & quidem dependenter à Deo: ergo non eſt ens à ſe, ſed ab alio derivatum, atque adeo per participationem: aliunde verò producitur contingenter, quia prodit à voluntate quæ domina eſt actionis, ergo poteſt effectum ponere vel non ponere: cum igitur totum hoc ſtet abſque illâ imaginariâ determinatione, quam in Deo præcedere vult adverſarius, ſupereſt ut eo nomine ſuperflua omnino ſit, quamvis aliunde libertati non repugnaret.

Addo, quod non ſemel dixi (ſed iterum errantem, iterum in viam revocare non piget) addo, inquam, determinationem ad agendum in cauſis liberis eſſe ipſam actionem à Deo ſimul, & à voluntate poſitam, quæ tamen ſic ab utraque cauſâ ponitur, ut proxi-

me penes ſolam voluntatem ſit hanc actionem à ſe, & à Deo dependentem, ſimul & à gratia, ſi effectus ſit ſupernaturalis; ponere vel non ponere, ſeu uti vel non uti omnipotentiâ ſibi per decretum indifferens applicatâ, & gratiâ quâ prevenitur.

CAPVT VII.

Proponitur vltima demonſtratio & ſolvitur.

QVintam quoque demonſtrationem quàm vana ſit, & imaginaria oſtendamus: ſic autem habet: Deus per taſe decretum ageret fortuitò, modo cœco & ſtulto: quia ageret præter intentionem: nam ille agit præter intentionem, qui hîc & nunc determinatè efficit aliquid, quod hoc modo determinato minimè intendit: atqui vi talis decreti non intendit amorem *v. g.* determinatè quem ponit: non enim magis intendit amorem quàm

odium; ergo &c. Vt videas quàm fruſtra excogitatũ ſit iſtud argumentum, lege cap. 15. tractatus de verâ intelligentiâ auxilii efficacis Suaris jam à duodecim annis fermè Lugduni editi: illud breviter pag. 71. ſic proponit: objiciunt, inquit, ſequi actus liberos humanæ voluntatis eſſe præter intentionem Dei, ſi ab eo non ſunt prædefiniti: quia intentio facit voluntatem efficacem & præviam, quæ prædefinitiva eſt, ergo ubi non eſt prædefinitio, non eſt intentio: ſi vim argumenti ſpectes eadem eſt in utroque: utrumque ergo pariter ſolvemus ex Suare.

Dico itaque falſum eſſe deum agere vitalis decreti præter intentionem, & quod conſequens erat, cœco & ſtulto modo, & contendo Deum intendere illud omne quod producit cum voluntate noſtrâ, quantum ſatis, ut tam atrox accuſatio temeritatis videlicet, & cœcitatis in agendo in illum ex tali decreto minimè cadere poſſit, quod tamen quoniam non fit eodem modo reſpectu boni,

Digitized by Google

& mali, rem totam in varias partes diſtribuo.

Ac primùm ſtatuo in iis quæ liberè à voluntate noſtra proficiſcuntur, Deum nunquam ſic ſe habere, ut ea antecedenter intendat efficaciter, independenter à prævisione conditionata futuræ operationis liberæ: nam apud nos perimeret libertatem hujuſmodi intentio, cum ſit aliquid antecedens, à libertate noſtrâ independens, & nihilominus cum operatione quam intendit ineluctabiliter connexum, à quo libertatis excidio etſi novâ aliquâ machinâ expediri poſſet voluntas ex tali intentione in operationem erumpens, nondum tamen valeret argumentatio adverſarii; quia ſcilicet falſum eſt Deum fortuitò & temerè agere, etſi non agat ex hujuſmodi intentione, quam ſoli admittunt Thomiſtæ, quod ut probem.

Satuo 2 Illum effectum non eſſe præter intentionem Dei, ſed potius ex intentione, & ſecundum intentionem Dei, quem licet non prædefiniat voluntate abſolutâ & præviâ ad ſcienti-

Digitized by Google

am futuritionis, antecedenter tamen quàm fiat, vult illum fieri, & ob eam cauſam confert media apta, ut fiat: probatur: ille intendit finem etiam efficaciter ex parte ſui, qui directè vult illum finem, in eoque complacet; & ex tali voluntate dat media omnia ex parte ſui neceſſaria ad talem finem: atqui de facto Deus licet non prædefiniat Thomiſticè actus noſtros bonos, illos tamen vult antecedenter, complacet in illis, & ex tali voluntate dat media neceſſaria ex parte ſui ad tales actus: ergo illos intendit citra tamen intentionem illam libertatis peremptricem, quam alii admittunt: major de quâ ſolâ dubitari poteſt, probatur: nam ſi qui decernit agere iter cum ſocio, ſi ipſe velit & non aliàs, eum tamen ad iter hortetur, & cupiat à ſocio id impetrare, is intendit iter, & deinde ſi iter agat, nemo dicet illam voluntatẽ non ſufficere, ut dicatur intendere iter, & verò quis adeo in rebus humanis novus, ut putet tunc iter illud præter intentionem homini iſti accidiſſe fortuitò ac temerè? qui judicium gratiam

Digitized by Google

prehenſat, & nihil prætermittit quod ex parte ſui neceſſarium novit ad illorum ſibi conciliandam benevolentiam, & obtinendam cauſam, an dicet aliquis hominem iſtum non intendiſſe conciliare ſibi Iudicum benevolentiam, & cauſam ſuam obtinere? ipſe P. Labat, dum ubique præ determinationis cauſam agit, & ut ſuadeat, hanc eſſe indubitatam D. Thom. mentem opportunè importune ingeminat, nunquid ſuadere prædeterminationem intendit, etſi numquam ſuadeat, ſed fac ſuadeat aliquando, quid enim tam ineptum quod cuipiam ſuaderi aliquando non poſſit? aſſenſum tamen impetrat, non extorquet, & liberè illi creditur, an propterea vel ipſe dicet, aſſenſum illum ſe minimè intendiſſe? de fide eſt Deum intendere ſalutem reproborum, intendit pariter bonum opus ad quod me excitat per gratiam ſufficientem: ergo poteſt inintendi aliquid, quod tamen abſolutè non prædefinitur: miſeros omnes & mendicos conſulat adverſarius, & ab illis quærat, an intendant eleemoſi-

nam, quam rogant? & tamen nihil aliud habent, quàm ut illam velint efficaciter quantum eſt ex ſe, ex quâ voluntate, media quæ putant idonea adhibent, preces videlicet, & triſte ærumnarum ſpectaculum; quid ni igitur voluntas Dei antecedens: quia vult efficaciter ex parte ſui actus bonos, & ex illâ nobis media omnia neceſſaria ad actum ſubminiſtrat, diceretur intentio actus? quid ni per illam Deus eumdem actum intendat?

Statuo tertiò, communem apud nos opinionem eſſe prædefiniri omnia opera noſtra bona, quam prædefinitionem contendo eſſe intentionem efficacem ipſius operis: nam ille intendit efficaciter, ſed tamen liberè opus aliquod, qui ex voluntate quâ illud vult, applicat media quæ certò ſcit, ac prævidet habitura effectum, quamvis liberè: atqui per ſuam prædefinitionem Deus ponit media, quæ prævidit habitura liberè quidem, ſed tamen infallibiliter effectũ, ſi darentur: ergo intendit talem effectum; nunquid Pater intendit efficaciter emendationẽ filii, qui

qui illam ita amat, & vult, ut ex amore & voluntate illius, ea media ad illam obtinendam adhibeat, quæ certò ſcit habitura effectum? an dici poteſt ab homine, qui ſupra infantiam ſapiat, illam morum emendationem patri accidiſſe præter intentionem, aut ab eo temerè, & cœco modo fuiſſe procuratam, cùm illam voluerit, & conſequenter ad finem propoſitum idonea media elegerit, prævidens cum illis ſequuturam emendationem? ubi in hac rerum ſerie mentis ſtupor ac cœcitas? non certè reſpectu finis, cùm rem bonam ſibi proponat acquirendam; non reſpectu mediorum, cùm non ſolùm apta eligat, ſed etiam talia, ut ſint habitura effectum, quod totum ipſe novit, ut ſuppono, antequam ea exhibeat: quid in toto hoc negotio procurandæ filii emendationis non ſapientiſſimè actum?

Hoc præcipuum Deum inter & hominem illum diſcrimen, quòd pater futuram ex mediis quæ eligit filii emendationem conjecturis duntaxat noverit, quibus aliqua errandi ſuſpicio ſu-

beſſe poteſt, at verò Deus cùm ex infinitâ mentis ſuæ perſpicaciâ futura omnia tanquam in manifeſtiſſimâ luce præſentia videat, infallibiliter ſcit futurum effectum quem vult, & ad quem obtinendum talia ſubminiſtrat media.

Hanc utcumque attigit reſponſionem Adverſarius, & contra illam ſic argumentatur: prædefinitio ea ſolùm media, & eo modo ponit, quo fuere prævisa per ſcientiam mediam ipſi præſuppoſitam: atqui per ſcientiam mediam non prævidentur principia determinata circa actum voluntatis noſtræ hîc & nunc in actu exercito, vel quæ illum intendant in actu exercito: ergo per illam prædefinitionem Deus non intendit hîc & nunc & in actu exercito hujuſmodi actum: argumentum illud breviùs hoc enthimemate comprehenditur: principia quæ ponuntur per prædefinitionem non intendunt effectum: ergo ipſa prædefinitio non intendit effectum, vel non eſt intentio effectus: ubi vides, Lector, conſequentiam manifeſtè falſam: nam quamvis ea quæ ponit prædefini-

tio non intenderent effectum, ipſa tamen per ſe eſt illius intentio, cùm ſit actus, quo Deus dicit:volo talem effectum per media illa quæ prævidi habitura effectum, ſi darentur, quo modo Pater intendit emendationem filiî, quia ponit media apta ad illam, idque ex voluntate quâ vult ipſam emendationem: quare R. argumentum ab Adverſario propoſitũ non eſſe in formâ, nam in majori, & minori loquitur de mediis, quæ à prædefinitione ponuntur, à quibus, ut ait, effectus non intenditur: in concluſione autem loquitur de ipsâ prædefinitione, quam ait non intendere effectum, *ergo*, inquit, *per prædefinitionem Deus non intendit actum*: idem omnino eſt argumentum, quo quis diceret: amor Dei eos ſolos actus imperat, qui fuere præviſi: atqui non prævidentur actus, qui ament: ergo amor non amat: & non dubitat R. P. exlegem argumentationem nobiliſſimo demonſtrationis nomine appellare: ſed ne iſtum formæ defectum, honeſtum declinandæ difficultatis prætextum fortè aliquis

Digitized by Google

interpretetur R. 2. prædefinitio ea ſolùm media ponit, quæ fuere præviſa per ſcientiam mediam, diſtinguo majorem, ponit ea ſolùm media exequentia quæ fuere prævisa, concedo, applicantia, nego majorem: deinde permiſſâ minori diſtinguo conſequētiam, quæ ex præmiſſis illis fuerat deducenda ſic: ergo prædefinitio non ponit principia exequentiā, quæ determinatè & efficaciter intendant actum voluntatis, concedo, applicantia, quæ determinatè & efficaciter intendant actum, nego conſequentiam.

Dico itaque ipſam prædefinitionem eſſe principiū applicans media, nempe auxilia ſupernaturalia ad actū prærequiſita: hæc autem prædefinitio non eſt objectum ſcientiæ mediæ, eſt tamen intentio efficax actus amoris, ad quem obtinendum applicat auxilia quæ præviſa ſunt per ſcientiam mediam habitura effectum, ſi darentur, ſic enim loquitur: volo actum amoris talem per talia auxilia quæ prævidi habitura hujuſmodi effectum, ſi darentur: ideoque jure optimo appellatur prin-

Digitized by Google

cipium applicans quia per illam auxilia exequentia applicantur, imò determinat Deum ad parandam, ſeu exhibendam ſuam omnipotentiam voluntati noſtræ per decretum indifferens.

Sed quoniam actus mali à Deo nec prædefiniuntur in noſtrâ ſententiâ, nec ad illos dantur media eo animo, ut de facto ponantur, ſupereſt ut explicem, quomodo ad iſtos Deus non concurrat fortuitò, temerè, & cœco modo: quod ſi ſatis explicuero omni ex parte diffſlabitur demonſtratio iſta imaginaria, rem igitur ut paucis expediam.

Statuò peccata omnia meritò dici poſſe præter intentionem Dei, non ſolùm quia illa non prædefinit, ſed etiam, quia in illis non complacet, nec voluntate antecedenti illa intendit, nec quicquam operatur ex intentione quâ velit, ut actus mali fiant, id mihi aſſerenti non credet Adverſarius, ſed credat, Patri Gonzali de Albelda Dominicano, qui decretum prædeterminans ad peccatum eâ ratione rejicit, quòd, inquit, videatur ſequela mani-

Digitized by Google

ſeſta, Deum eſſe autorem peccati? credat Scripturæ affirmanti peccatum eſſe contra voluntatem Dei, Deo inviſum, odio habitum: quomodo ergo à Deo intenderetur? habet itaque hac in parte apertam confeſſionem noſtram.

Dices: ergo fortuitò evenit peccatum reſpectu Dei, & cœco modo illud ponet: R. nego conſequentiam: nam hæc verba, *fortuitò evenit reſpectu Dei peccatum*, non ſolùm ſignificant eſſe præter voluntatem, & intentionem, ſed etiam præter ſcientiam, ſeu præſcientiam, & permiſſionem: nemo dicet fortuitò reſpectu heri contigiſſe, ut ſervus pecuniam illi ſurriperet, qui antecedenter ad furtum certò noverat futurum, ut ſervus illam furaretur, ſi hoc permitteret: atqui Deus antequam ponatur peccatum, videt illud eſſe futurum, nec tamen vult impedire illius poſitionem, ſed juxtà prædefinitas ſapientiæ ſuæ leges illam permittit: ergo non agit fortuitò, imò nec omnino præter intentionem: nam quamvis nullo modo

Digitized by Google

intendat peccatum, intendit nihilominus permiſſionem peccati, quæ optima eſt: non agit etiam cœco modo, cùm videat & intendat parari à ſe omnipotentiam ad odium *v. g.* & ſciat illud à voluntate determinatè ponendum, quamvis cum eâ indifferentiâ, ut poſſet ab eâdem voluntate non poni. Hæ ſunt quinque illæ demonſtrationes, quibus decreto indifferenti parabatur certa pernicies, ſed ab illis innoxium tutumque eſſe jam ſatis ſuperque probatum eſt: quæ cùm ita ſint vides, Lector eruditiſſime, quàm ad primam ſpeciem magnifico, ſed in re quàm inani titulo ultimum ſcientiæ mediæ aſſertoribus excidium minetur P. Labat, cùm ne leviter quidem illos perſtringat, quippe, qui monſtrum decreti ſibi finxit, quod nos pari animorum conſpiratione, iiſdemque ferè armis inſequimur: hinc etiam facilè vel me tacente quiſque intelliget, quo jure de ſententiâ noſtrâ tanquam de causâ deploratiſſimâ obloquatur, quo jure tanquam de partâ victoriâ non obſcurè triumphet: atqui R. Pater

primus ad victoriam gradus eſt hoſtem ab amico,& fœderato diſtinguere, alter illi proximus, ad pugnam cum hoſte jam minimè dubio progredi, tum denique armis ſtrenuè cum illo decertare, at tu ne noſti quidem hoſtem, cujus ſtragem meditaris, ne dum cum illo manus conſeris.

CAPVT VIII.

Quomodo & quando Deus determinetur ad applicandam voluntati omnipotentiam ſuam per decretum indifferens.

DIfficultatem movent aliam Adverſarii contra decretum indifferens, quam non præteribo, petiturque ex impoſſibilitate explicandi quomodo & quando ponatur hujuſmodi decretum: nam cum voluntas ex ſe, inquiunt, ſit indifferens ad agendum & non agendum: Deus etiam indifferenter ſe habeat ad operandum vel

non

non operandum cum voluntate debet dari aliquid, quo Deus determinetur ad offerendam creaturæ omnipotentiam ſuam hîc & nunc, potiùs quàm alio tempore: illud autem quale eſſe poteſt? non certè actio ipſius voluntatis, nam iſta præſupponit jam oblatam omnipotentiam; non ipſe Deus cùm ſit indifferens ad otium vel ad operationem creaturæ: aliundè dici nequit Deum ſemper & in omnibus circumſtantiis offerre voluntati ſuum concurſum: fruſtrà enim pararetur omnipotentia ad amandum liberè, *v. g.* puero, dum eſt in cunis, adulto dum dormit, vel dum non cogitat de Deo, nec liberè cogitationem illam omittit: ergo non poteſt aſſignari quandonam & à quo Deus determinetur ad ſuum voluntati concurſum offerendum.

Reſpond. 1. Deum offerre ſuam omnipotentiam ad concurrendum cum voluntate in omnibus circumſtantiis, in quibus videt nihil deeſſe voluntati, ut poſſit liberè operari præter omnipotentiæ ſuæ applicationem: ratio eſt,

quia ſi tunc non applicaret omnipotentiam ſuam, & paratam ad concurrendum non exhiberet, non ſatis ſe accommodaret naturæ agentis liberi, quæ talis eſt, ut exigat compleri à Deo ad hoc ut poſſit agere, quoties ex parte actus primi nihil aliud deeſt quàm ipſa omnipotentiæ applicatio, & certè ſi tunc non exigat compleri, nunquam id exiget: ecquando enim? ut ergo Deus conjungit ſuam omnipotentiam cum cauſis ſecundis neceſſariis, quoties illas videt in his circumſtantiis, in quibus habent ex parte ſui, omnia requiſita ad agendum & ſola requiritur omnipotentiæ applicatio, ita & in cauſis liberis, cum hoc tamen diſcrimine, quòd cauſæ neceſſariæ omnipotentiam applicat per decretum efficax, abſolutum, & neceſſitans: at cauſæ liberæ per decretum indifferens, pro naturâ ſcilicet cujuſque agentis, cui mirâ ſapientiâ & ſuavitate ſe accommodat.

R. 2. Deum non applicare ſuam omnipotentiam ad concurrendum in circumſtantiis, in quibus deeſt aliquid ex parte voluntatis ut poſſit age-

re liberè: ita pueris in cunis, adulto in ſomno non exhibet ſuum concurſum ad amorem liberum, quia fruſtrà exhiberet, cùm non poſſit eſſe liberè amor durante infantiâ, vel ſomno.

R. 3. Deum ſuam omnipotentiam voluntati in his circũſtantiis præparare, non tantùm in ordine ad effectus, quos prævidet à voluntate producendos, ſi compleatur per applicationem omnipotentiæ, ſed etiam ad alios, quos prævidet non ponendos: ratio eſt quia ſi aliter ſe gereret, tunc non omitterentur liberè hujuſmodi actus à voluntate, quippe quæ non poſſet eos ponere defectu alicujus prærequiſiti neceſſariò ex parte actus primi, quod tum maximè valet, cùm tenetur voluntas ponere actum quem omittit. R. 4. in his circumſtantiis quas dixi, Deum ad præparandam voluntati per decretum indifferens ſuam omnipotentiam determinari à voluntate completâ ex parte ſui ad agendum: cùm enim Deus ſit cauſa prima & univerſalis, ita ſtatuit ſe exhibere paratum ad concurrendum cum cauſis ſecun-

dis, ut intra iſtius providentiæ ordinem per ipſum non ſtet, quin cauſæ ſecundæ agant, per ipſum tamen ſtaret, ſi poſitis omnibus ex parte voluntatis creatæ ad agendum requiſitis, ipſe nollet concurrere, unde ſequeretur neceſſitas non agendi in voluntate: quare ut cauſa neceſſaria habens ex parte ſui omnia requiſita ad agendum exigit à Deo applicationem omnipotentiæ, & ſemper impetrat: tunc enim ſemper agit, quia eſt cauſa neceſſaria; ſic cauſa libera habens ſimiliter omnia ex parte ſui ad agendum requiſita exigit & impetrat ejuſdem omnipotentiæ applicationem, quâ cum tamen non ſemper agit, quia eſt cauſa libera, ſed poteſt agere: voluntas autem ſic ex parte ſui completa Deum jam antea ex ſe determinatum ad ſic ſe gerendum cum cauſis ſecundis, ut per ipſum non ſtet quin agant, ultimò movet ad applicationem omnipotentiæ, quæ ſola deeſt ut voluntas poſſit agere, & eatenus dicimus Deum à voluntate in his circumſtantiis determinari ad applicandam ſuam omnipotentiam, id-

que per decretum indifferens, quâ in re quid, quæſo, myſterii eſſe poteſt, niſi, quod aiunt, nodum velis in ſcirpo quærere?

CAPVT IX.

Inſtitutam de decreto indifferenti diſputationem ad præcipuas Theologiæ quæſtiones extendit.

HActenus dè decreto indifferenti, quod in operis titulo promiſerat, per 30. ferè paginas egit, nunc quoniam aliquam cum hujuſmodi decreto neceſſitudinem, aut oppoſitionem habent ſcientia media, & phyſica prædeterminatio, in iſtas quæſtiones excurrit per plus quàm ducentas paginas, & cum unius decreti indifferentis excidium nobis in titulo intentaret, ſic tamen ſuſcepto operi incumbit Reverend. Pater, ut omnia ferè, quæ ad diſputationem de auxiliis pertinent percurrat, adeò ut non tam videatur

de decreto indifferenti inſtituta quæ-ſtio, quàm inſtaurata de auxiliis controverſia integra: agit enim de gratiâ efficaci, de ſcientiâ Dei, de prædefinitionibus, examinat in quo Deus videat futura contingentia, quæ fuerit hæreſis Pelagianorum, & Semipelagianorum, quæ fuerit mens Concilii Arauſicani de gratiâ, quanta ſit commendatio doctrinæ Divi Thomæ, denique quid non? addere debueras tractatum de libertate, de voluntario, involuntario, de peccato originali, de merito, de peccatis, denique de omnibus Chriſtianæ Religionis myſteriis, quibus officere ſcientiam mediam ſcribis, nec ſanè prætermittenda fuit clara Tridentini cum præmotione phyſicâ concordia, de iſtis omnibus, & aliis pluribus, quoniam ſunt quodammodo inter ſe connexa, pari jure agere poteras, & diſputationem inſcribere *de decreto indifferenti.*

Non mihi licet eſſe tam otioſo cum iſto Autore ſpatiari per omnem ferè Theologiam & ſigillatim recenſendo perſequi innumera argumenta, quæ

undique contra ſcientiam mediam, & pro physicâ prædeterminatione congerit, nihil enim affert, quod à ſuis jam non ſit ſæpiùs allatum, & ſæpiùs à noſtris ſolutum: ſatis mihi eſt decretum indifferens contra quinque illas demonſtrationes, quas magnificè circumfert vendicaſſe: ſtabit itaque decretum illud, ut hactenus ſtetit, nec aliud ſuo illo conatu efficiet apud eruditos Pater Labat, quàm ut credant ſibi larvas finxiſſe iſtum Autorem contrà quas ſtrenuè dimicaret, & de illis triumpharet gloriosè: juvat tamen paucis hîc aliqua perſtringere, ne intacta prorſus omnia abeant.

Primò noſtram opinionem non obſcurè Pelaginiſmi inſimumulat, ait enim Pelagium non aliam gratiam negaſſe, quàm phyſicam ex ſe efficacem, quā cùm nos quoque totis viribus negemus, quid ſupereſt niſi ut Pelagiani videamur & ſimus, hoc totum quâ induſtriâ conciliaturus ſit R. Pater cum ſummorum Pontificum decretis, quæ ſub pænâ excommuncationis prohibent, ne in iſtis quæſtionibus alter

alterius opinionem cenſurâ aliquâ vel erroris vel hæreſeos notet, ipſe viderit: ſed interim quæro ab Adverſario quid poſthac fiet de miſero illo argumento, quod Toloſæ natum circumfertur per omnes ſcholas & melioris deſperatione proponitur ſingulis annis in publicis diſputationibus? Eſt autem hujuſmodi: ſi prædeterminatio tolleret libertatem, eſſet hæretica: atqui dici non poteſt ex ſummorum Pontificum ſanctionibus hæretica, ergo non tollit libertatem: quid, inquam, fiet de illo ſophiſmate, cùm pari vi Adverſarius inſurgere poſſit & ex eâdem formâ argumentari: ſi opinio noſtra eſſet opinio in Pelagio damnata, eſſet hæretica; atqui non eſt hæretica, ergo &c. Commodum ſanè argumentum quod utrique parti ex æquo vel faveat, vel noceat: verùm quæque futura ſit ſors miſeri iſtius argumenti: dico quod millies dictum, ac demonſtratũ eſt, Pelagii hæreſim in hoc poſitam fuiſſe, quòd doceret auxilium ſupernaturale & intrinſecum non eſſe neceſſarium, nec alio adjutorio

torio poſſibilitatem noſtram adjuvari aſſereret, quàm lege & doctrinâ Chriſti, ejuſque exemplis, quæ propriè gratiam nuncupabat: id diſertè Aug. l. de gratiâ Chriſti c. 41. *tria illa conſtituit Pelagius, poſſibilitatem, voluntatem, actionem, & ſolam poſſibilitatem dicit divino ſemper adiuvari auxilio, voluntatem & actionem nullo Dei adiutorio exiſtimat indigere: ipſum verò auxilium, quo poſſibilitatem perhibet adiuvari, in lege conſtituit atque doctrinâ, quam nobis fatetur etiam Sancto Spiritu revelari: propter quod & orandum eſſe concedit: adiutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Chriſti eſſe arbitratur exemplo, quod nihilominus ad doctrinam pertinere perſpicit, quæ nobis Evangelica prædicatur, ut videlicet tanquam viâ demonſtratâ, quâ ambulare debeamus, cum viribus liberi arbitrii iam adiutorio nullo alterius indigentes ſufficiamus* &c. Quid pluribus rem confirmem, quam innumeris Auguſtini teſtimoniis, & validiſſimis rationibus probatam quiſque apud Autores legere poteſt, & quæ vel ex illo

Digitized by Google

Aug. loco, quem mox laudavi, convincitur? Nam ex Pelagio, *viribus liberi arbitrii iam adiutorio nullo alterius indigentes ſufficimus*: at qui viribus arbitrii ſufficit, nec jam ullo alterius adjutorio indiget, non putat eſſe neceſſariam gratiam aliam ut ſufficiat: ergo &c. Præterea expreſsè ait auxilium, quo poſſibilitas noſtra adjuvetur, à Pelagio in lege & doctrinâ Chriſti conſtitui: atqui totum hoc eſt extrinſecum, & quamvis quando lex & doctrina exteriùs proponuntur, ſequatur cognitio in nobis, quæ verè eſt intrinſeca: illa tamen naturaliter ſequitur & tota naturalis eſt: ubi igitur gratia propriè dicta? Sed, inquies, revelatur à Spiritu Sancto hæc doctrina; concedo equidem; an propterea non proponitur extrinſecùs? an propterea neceſſarium eſſe docuit Pelagius, ut Spiritus Sanctus operaretur in nobis adjutorium aliquod ſupernaturale? Nunquid quoties Barbaris explicantur myſteria fidei, non proponitur doctrina à Spiritu Sancto revelata, & in cognitionem illius ve-

nium? an idcircò continuò in illis omnibus: datur cognitio ſupernaturalis de hujuſmodi doctrinâ? Mira eſt hac in parte Adverſarii philoſophia, *Pelagius*, inquit, *agnovit doctrinam à Spiritu Sancto revelari, propterea quod & adorandum eſſe dicebat: quid autem eſt propterea eſſe adorandum niſi quia ex hujuſmodi revelatione probatur, quòd ſit Deus cultu latriæ colendus*: atqui R. Pater, tu ipſe ibidem pag. 51. agnoſcis Angelum poſſe docere, & de Parocho idem dicere poteras, & excitare voluntatem, exteriùs docendo ſcilicet & hortando: ergo & Spiritus Sanctus id poteſt: ſed, inquies, *hoc maximè proprium eſt Spiritus Sancti in intellectu & voluntate operari internam gratiam communicando*: hoc quidem fateor, ſed quâ conſecutione hinc deduci poſſit Pelagium admiſiſſe hujuſmodi gratiam, ſi non vides, hîc repræſento. En in formâ quale ſit tuum argumentum: maximè proprium eſt Spiritus Sancti operari in intellectu & voluntate per internam gratiam: ergo Pelagius dum agnoſcit Spiritum San-

Digitized by Google

ctum nobis divinam doctrinam revelare, id per internam gratiam fieri docuit: conſequentiam tu quidem probares, ſi oſtenderes Pelagium agnoviſſe Spiritum Sanctum in intellectu & voluntate operari modo ipſius maximè proprio, ſed donec id præſtes, nihil facis; imò pari omnino argumento probarem Pelagium admiſiſſe gratiam prædeterminantem, quod tamen negas: ſic autem argumentum conficio: maximè proprium eſt Spiritus Sancti operari in intellectu & voluntate per prædeterminantem gratiam: ergo dum Pelagius agnoſcit Spiritum Sanctum divinam doctrinam nobis revelare, id per gratiam prædenerminantem fieri docuit, rem tamen confirmat P. Labat. Non poteſt, inquit, intelligi Pelagius de Spiritu Sancto exteriùs docente, nam *in Concilio Chartaginenſi Can. 5. damnatur qui dixerit gratiam per hoc tantùm nos adiuvare ad non peccandum: quia per ipſam nobis revelatur intelligentia mandatorum, non autem præſtatur, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diliga-*

Digitized by Google

mus; riderer, opinor, ſi probaturus Calvinum non admiſiſſe gratiam neceſſitantem, ſic rem aggrederer. Calvinus non potuit admittere talem gratiam, nam in Concilio Trid. damnatur qui dixerit liberum arbitrium motum à Deo non poſſe diſſentire &c. Atqui illa ipſa eſt Patris argumentatio, nam arguit de facto Pelagium non ita ſenſiſſe, quia à Concilio damnatur qui hoc dixerit: an tibi excidit Pelagium eſſe hæreticũ, ac propterea docere non pauca quæ à Conciliis dãnantur? Nullus ferè lapſis retro ſæculis foret hæreticus, ſi nihil docuiſſent quod à Conciliis dãnaretur. Aliud obiter attingam, quod legenti admirationem moveat: Theophilum inducit docentem *decretum indifferens niti inſpectione Dei, quâ agnoſcit, quid actura eſſet creata voluntas, ſi ſe ſolâ ac independenter à Deo ageret*: tum ſubjicit pag. 63. *huiuſmodi reſponſio*, inquit, *impia eſt, attribuendo creatæ voluntati huiuſmodi independentiam ſoli divinæ omnipotentiæ omnino propriam*: logicam habet iſte Autor ſanè reconditam: Deus, in-

Digitized by Google

quit Theophilus, videt jam quid creatura eſſet actura, ſi creatura ſola ageret & independenter à Deo: ergo (exclamat P. Labat) Theophilus dicit creaturam ſolam agere, & independenter à Deo, quæ maxima eſt impietas: tua iſta ratiocinatio R. Pater iſtis ſimillima eſt: Deus videt quid facturus eſſet, & quid dicturus P. Labat, ſi ipſe negaret prædeterminationem phyſicam, & ſcientiam mediam cum Molinâ ſuſtineret: ergo P. Labat negat prædeterminationem phyſicam, & ſuſtinet ſcientiam mediam, quod quis futurum unquam ſperaſſet? Thomiſtæ docent Deum videre quid acturus fuiſſet Adamus, ſi Chriſtus noluiſſet incarnari: ergo Thomiſtæ docent Chriſtum de facto noluiſſe incarnari? quæ maxima hæreſis eſt: compara ratiocinia illa inter ſe, & vide quàm legitima ſit conſequutio, quæ in illis deducitur: antecedens enim non curo, ſolam conſequentiam attendo. Plura congerit de ſcientia contingentium, de gratiâ efficaci, de ſcientiâ mediâ, denique de quo non? illis autem ſu-

Digitized by Google

perſedeo, quoniam nec mihi propoſitum eſt de universâ Theologiâ ſcribere, ut hominis iſtius ingenio indulgeam, nec ea eſt inter decretum indifferens, & cæteras quæſtiones Theologicas neceſſitudo, ut quoties de illo quiſquam diſputabit, continuò iſtæ in diſputationem venire debeant, ſicque delibentur omnia, ſed nihil ſolidè pertractetur.

CAPVT X.

Ex imaginariâ victoriâ fructus imaginarios colligit Adverſarius.

VT ſuus victoriæ fructus reſpondeat, multiplicem ex eâ percipit adverſarius, & quoniam quinque demonſtrationes in aciem eduxerat, quinque pariter fructus, eoſque ſanè uberes colligit, ſed imaginarios: primus eſt nullam dari veram diſpoſitionem ad iuſtificationẽ. 2. nullum dari poſſe actum vitæ æternæ meritorium.

Digitized by Google

3. vitam æternam non eſſe vitam æternam. 4. gratiam ſufficientem non eſſe verè ſufficientem. 5. omnes actus virtutum infuſarum magis repugnare, quàm chimeram, quæ omnia ex noſtrâ opinione, ſi Superis placet, ſequi certum eſt: antequam autem iſta adſtruat, non inconſultò aperiendam eſſe, ait, hallucinationis noſtræ radicem, quam totam dicit oriri ex odio gratiæ ex ſe efficacis & prædeterminantis, quam libertati ideò infenſam à nobis dici ſcribit, quoniam implicat gratiam, quæ eſt à principio extrinſeco, nempe Deo, poſſe in actum voluntatis liberum, ut liberum, & vitalem quidquam intrinſecè influere: *ipſi enim putant*, inquit, *omne agens extrinſecum cum vitalitute, atque potiori iure cum libertate pugnare*: tum addit, *en primum & unicum fundamentum, quo Adverſarii omnes ad gratiam ex ſe efficacem impugnandam nituntur. ſed quod conſtat prorſus ruinoſum, & tot ac maximis patere incommodis, ut mirum ſit viros alioquin prudentiſſimos adeò incautè in ea incurriſſe*; næ tu de nobis optimè meritus

meritus es; qui tam ineptè, adeòque levi de causâ in maxima incommoda miſerè incurrentes reuocas pro tua charitate in viam bonam, aperiſque hallucinationis noſtræ fontem, miſeratus procul dubio hominum, quos alioquin prudentiſſimos dicis, cœcitatem, quo nomine ſentio totam Ieſuitarum nationem non parùm tibi debere: ſic enim hactenus res ſe habuerunt apud nos, vt quantùm ex præteritis conjici licet, nunquam de illa hallucinationis noſtræ radice, quam feliciter detexiſti, ne per ſomnium quidem cogitaturus quiſquam fuiſſet: ſuſpicantur tamen non pauci (ſuſpicax enim eſt humanum ingenium) te in detegendâ iſta hallucinationis noſtræ radice, fœdè hallucinatum eſſe; atque ne id temerè ab illis dictum putes, probant validiſſimè.

1. Quidem dicunt nullum unquam apud nos ita inſaniiſſe, vt aut ſcriberet, aut diceret, aut dubitando cogitaret continuò libertatis noſtræ exci-dium timendum eſſe, ſi concedatur gratia à principio extrinſeco, inuin-

dis, ut intra iſtius providentiæ ordinem per ipſum non ſtet, quin cauſæ ſecundæ agant, per ipſum tamen ſtaret, ſi poſitis omnibus ex parte voluntatis creatæ ad agendum requiſitis, ipſe nollet concurrere, unde ſequeretur neceſſitas non agendi in voluntate: quare ut cauſa neceſſaria habens ex parte ſui omnia requiſita ad agendum exigit à Deo applicationem omnipotentiæ, & ſemper impetrat: tunc enim ſemper agit, quia eſt cauſa neceſſaria; ſic cauſa libera habens ſimiliter omnia ex parte ſui ad agendum requiſita exigit & impetrat ejuſdem omnipotentiæ applicationem, quâ cum tamen non ſemper agit, quia eſt cauſa libera, ſed poteſt agere: voluntas autem ſic ex parte ſui completa Deum jam antea ex ſe determinatum ad ſic ſe gerendum cum cauſis ſecundis, ut per ipſum non ſtet quin agant, ultimò movet ad applicationem omnipotentiæ, quæ ſola deeſt ut voluntas poſſit agere, & eatenus dicimus Deum à voluntate in his circumſtantiis determinari ad applicandam ſuam omnipotentiam, id-

Digitized by Google

que per decretum indifferens, quâ in re quid, quæſo, myſterii eſſe poteſt, niſi, quod aiunt, nodum velis in ſcirpo quærere?

CAPVT IX.

Inſtitutam de decreto indifferenti diſputationem ad præcipuas Theologiæ quæſtiones extendit.

HActenus dè decreto indifferenti, quod in operis titulo promiſerat, per 30. ferè paginas egit, nunc quoniam aliquam cum hujuſmodi decreto neceſſitudinem, aut oppoſitionem habent ſcientia media, & phyſica prædeterminatio, in iſtas quæſtiones excurrit per plus quàm ducentas paginas, & cum unius decreti indifferentis excidium nobis in titulo intentaret, ſic tamen ſuſcepto operi incumbit Reverend. Pater, ut omnia ferè, quæ ad diſputationem de auxiliis pertinent percurrat, adeò ut non tam videatur

de decreto indifferenti inſtituta quæſtio, quàm inſtaurata de auxiliis controverſia integra: agit enim de gratiâ efficaci, de ſcientiâ Dei, de prædefinitionibus, examinat in quo Deus videat futura contingentia, quæ fuerit hæreſis Pelagianorum, & Semipelagianorum, quæ fuerit mens Concilii Arauſicani de gratiâ, quanta ſit commendatio doctrinæ Divi Thomæ, denique quid non? addere debueras tractatum de libertate, de voluntario, involuntario, de peccato originali, de merito, de peccatis, denique de omnibus Chriſtianæ Religionis myſteriis, quibus officere ſcientiam mediam ſcribis, nec ſanè prætermittenda fuit clara Tridentini cum præmotione phyſicâ concordia, de iſtis omnibus, & aliis pluribus, quoniam ſunt quodammodo inter ſe connexa, pari jure agere poteras, & diſputationem inſcribere *de decreto indifferenti.*

Non mihi licet eſſe tam otioſo cum iſto Autore ſpatiari per omnem ferè Theologiam & ſigillatim recenſendo perſequi innumera argumenta, quæ

Digitized by Google

undique contra ſcientiam mediam, & pro phyſicâ prædeterminatione congerit, nihil enim affert, quod à ſuis jam non ſit ſæpiùs allatum, & ſæpiùs à noſtris ſolutum: ſatis mihi eſt decretum indifferens contra quinque illas demonſtrationes, quas magnificè circumfert vendicaſſe: ſtabit itaque decretum illud, ut hactenus ſtetit, nec aliud ſuo illo conatu efficiet apud eruditos Pater Labat, quàm ut credant ſibi larvas finxiſſe iſtum Autorem contrà quas ſtrenuè dimicaret, & de illis triumpharet gloriosè: juvat tamen paucis hîc aliqua perſtringere, ne intacta prorſus omnia abeant.

Primò noſtram opinionem non obſcurè Pelaginiſmi inſimumulat, ait enim Pelagium non aliam gratiam negaſſe, quàm phyſicam ex ſe efficacem, quā cùm nos quoque totis viribus negemus, quid ſupereſt niſi ut Pelagiani videamur & ſimus, hoc totum quâ induſtriâ conciliaturus ſit R. Pater cum ſummorum Pontificum decretis, quæ ſub pænâ excommuncationis prohibent, ne in iſtis quæſtionibus alter

Digitized by Google

alterius opinionem cenſurâ aliquâ vel erroris vel hæreſeos notet, ipſe viderit: ſed interim quæro ab Adverſario quid poſthac fiet de miſero illo argumento, quod Toloſæ natum circumfertur per omnes ſcholas & melioris deſperatione proponitur ſingulis annis in publicis diſputationibus? Eſt autem hujuſmodi: ſi prædeterminatio tolleret libertatem, eſſet hæretica: atqui dici non poteſt ex ſummorum Pontificum ſanctionibus hæretica, ergo non tollit libertatem: quid, inquam, fiet de illo ſophiſmate, cùm pari vi Adverſarius inſurgere poſſit & ex eâdem formâ argumentari: ſi opinio noſtra eſſet opinio in Pelagio damnata, eſſet hæretica; atqui non eſt hæretica, ergo &c. Commodum ſanè argumentum quod utrique parti ex æquo vel faveat, vel noceat. verùm quæque futura ſit ſors miſeri iſtius argumenti: dico quod millies dictum, ac demonſtratũ eſt, Pelagii hæreſim in hoc poſitam fuiſſe, quòd doceret auxilium ſupernaturale & intrinſecum non eſſe neceſſarium, nec alio adjutorio

torio poſſibilitatem noſtram adjuvari aſſereret, quàm lege & doctrina Chriſti, ejuſque exemplis, quæ propriè gratiam nuncupabat: id diſertè Aug. l. de gratiâ Chriſti c. 41. *tria illa conſtituit Pelagius, poſsibilitatem, voluntatem, actionem, & ſolam poſsibilitatem dicit divino ſemper adiuvari auxilio, voluntatem & actionem nullo Dei adiutorio exiſtimat indigere: ipſum verò auxilium, quo poſsibilitatem perhibet adiuvari, in lege conſtituit atque doctrinâ, quam nobis fatetur etiam Sancto Spiritu revelari: propter quod & orandum eſſe concedit: adiutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Chriſti eſſe arbitratur exemplo, quod nihilominus ad doctrinam pertinere perſpicit, quæ nobis Evangelica prædicatur, ut videlicet tanquam viâ demonſtratâ, quâ ambulare debeamus, cum viribus liberi arbitrii iam adiutorio nullo alterius indigentes ſufficiamus* &c. Quid pluribus rem confirmem, quam innumeris Auguſtini teſtimoniis, & validiſſimis rationibus probatam quiſque apud Autores legere poteſt, & quæ vel ex illo

nium? an idcircò continuò in illis omnibus: datur cognitio ſupernaturalis de hujuſmodi doctrinâ? Mira eſt hac in parte Adverſarii philoſophia, *Pelagius*, inquit, *agnovit doctrinam à Spiritu Sancto revelari, propterea quod & adorandum eße dicebat: quid autem eſt propterea eſſe adorandum niſi quia ex hujuſmodi revelatione probatur, quòd ſit Deus cultu latriæ colendus*: atqui R. Pater, tu ipſe ibidem pag. 51. agnoſcis Angelum poſſe docere, & de Parocho idem dicere poteras, & excitare voluntatem, exteriùs docendo ſcilicet & hortando: ergo & Spiritus Sanctus id poteſt: ſed, inquies, *hoc maximè proprium eſt Spiritus Sancti in intellectu & voluntate operari internam gratiam communicando*: hoc quidem fateor, ſed quâ conſecutione hinc deduci poſſit Pelagium admiſiſſe hujuſmodi gratiam, ſi non vides, hic repræſento. En in formâ quale ſit tuum argumentum: maximè proprium eſt Spiritus Sancti operari in intellectu & voluntate per internam gratiam: ergo Pelagius dum agnoſcit Spiritum San-

ctum nobis divinam doctrinam revelare, id per internam gratiam fieri docuit: conſequentiam tu quidem probares, ſi oſtenderes Pelagium agnoviſſe Spiritum Sanctum in intellectu & voluntate operari modo ipſius maximè proprio, ſed donec id præſtes, nihil facis; imò pari omnino argumento probarem Pelagium admiſiſſe gratiam prædeterminantem, quod tamen negas: ſic autem argumentum conficio: maximè proprium eſt Spiritus Sancti operari in intellectu & voluntate per prædeterminantem gratiam: ergo dum Pelagius agnoſcit Spiritum Sanctum divinam doctrinam nobis revelare, id per gratiam prædenerminantem fieri docuit, rem tamen confirmat P. Labat. Non poteſt, inquit, intelligi Pelagius de Spiritu Sancto exterius docente, nam *in Concilio Chartaginenſi Can. 5. damnatur qui dixerit gratiam per hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum: quia per ipſam nobis revelatur intelligentia mandatorum, non autem præſtatur, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diliga-*

mus; riderer, opinor, ſi probaturus Calvinum non admiſiſſe gratiam neceſſitantem, ſic rem aggrederer. Calvinus non potuit admittere talem gratiam, nam in Concilio Trid. damnatur qui dixerit liberum arbitrium motum à Deo non poſſe diſſentire &c. Atqui illa ipſa eſt Patris argumentatio, nam arguit de facto Pelagium non ita ſenſiſſe, quia à Concilio damnatur qui hoc dixerit: an tibi excidit Pelagium eſſe hæreticũ, ac propterea docere non pauca quæ à Conciliis dãnantur? Nullus ferè lapſis retro ſæculis foret hæreticus, ſi nihil docuiſſent quod à Conciliis dãnaretur. Aliud obiter attingam, quod legenti admirationem moveat. Theophilum inducit docentem *decretum indifferens niti inſpectione Dei, quâ agnoſcit, quid actura eſſet creata voluntas, ſi ſe ſolâ ac independenter à Deo ageret*: tum ſubjicit pag. 63. *huiuſmodi reſponſio*, inquit, *impia eſt, attribuendo creatæ voluntati huiuſmodi independentiam ſoli divinæ omnipotentiæ omnino propriam*: logicam habet iſte Autor ſanè reconditam: Deus, in-

quit Theophilus, videt jam quid creatura eſſet actura, ſi creatura ſola ageret & independenter à Deo: ergo (exclamat P. Labat) Theophilus dicit creaturam ſolam agere, & independenter à Deo, quæ maxima eſt impietas: tua iſta ratiocinatio R. Pater iſtis ſimillima eſt: Deus videt quid facturus eſſet, & quid dicturus P. Labat, ſi ipſe negaret prædeterminationem phyſicam, & ſcientiam mediam cum Molinâ ſuſtineret: ergo P. Labat negat prædeterminationem phyſicam, & ſuſtinet ſcientiam mediam, quod quis futurum unquam ſperaſſet? Thomiſtæ docent Deum videre quid acturus fuiſſet Adamus, ſi Chriſtus noluiſſet incarnari: ergo Thomiſtæ docent Chriſtum de facto noluiſſe incarnari? quæ maxima hæreſis eſt: compara ratiocinia illa inter ſe, & vide quàm legitima ſit conſequutio, quæ in illis deducitur: antecedens enim non curo, ſolam couſequentiam attendo. Plura congerit de ſcientia contingentium, de gratiâ efficaci, de ſcientiâ mediâ, denique de quo non? illis autem ſu-

Digitized by Google

perſedeo, quoniam nec mihi propoſitum eſt de universâ Theologiâ ſcribere, ut hominis iſtius ingenio indulgeam, nec ea eſt inter decretum indifferens, & cæteras quæſtiones Theologicas neceſſitudo, ut quoties de illo quiſquam diſputabit, continuò iſtæ in diſputationem venire debeant, ſicque delibentur omnia, ſed nihil ſolidè pertractetur.

CAPVT X.

Ex imaginariâ victoriâ fructus imaginarios colligit Adverſarius.

VT ſuus victoriæ fructus reſpondeat, multiplicem ex eâ percipit adverſarius, & quoniam quinque demonſtrationes in aciem eduxerat, quinque pariter fructus, eoſque ſanè uberes colligit, ſed imaginarios: primus eſt nullam dari veram diſpoſitionem ad iuſtificationẽ. 2. nullum dari poſſe actum vitæ æternæ meritorium.

Digitized by Google

3. vitam æternam non eſſe vitam æternam. 4. gratiam ſufficientem non eſſe verè ſufficientem. 5. omnes actus virtutum infuſarum magis repugnare, quàm chimeram, quæ omnia ex noſtrâ opinione, ſi Superis placet, ſequi certum eſt: antequam autem iſta adſtruat, non inconſultò aperiendam eſſe, ait, hallucinationis noſtræ radicem, quam totam dicit oriri ex odio gratiæ ex ſe efficacis & prædeterminantis, quam libertati ideò infenſam à nobis dici ſcribit, quoniam implicat gratiam, quæ eſt à principio extrinſeco, nempe Deo, poſſe in actum voluntatis liberum, ut liberum, & vitalem quidquam intrinſecè influere: *ipſi enim putant*, inquit, *omne agens extrinſecum cum vitalitate, atque potiori iure cum libertate pugnare*: tum addit, *en primum & unicum fundamentum, quo Adverſarii omnes ad gratiam ex ſe efficacem impugnandam nituntur. ſed quod conſtat prorſus ruinoſum, & tot ac maximis patere incommodis, ut mirum ſit viros alioquin prudentiſſimos adeò incautè in ea incurriſſe*; næ tu de nobis optimè

meritus

meritus es, qui tam salubriter, adeòque levi de causâ in maxima incommoda miserè incurrentes revocas pro tua charitate in viam bonam, aperisque hallucinationis nostræ fontem, miseratus procul dubio hominum, quos alioquin prudentiſſimos dicis, cœcitatem; quo nomine ſentio totam Ieſuitarum nationem non parùm tibi debere: ſic enim hactenus res ſe habuerunt apud nos, vt quantùm ex præteritis conjici licet, nunquam de illa hallucinationis noſtræ radice, quam feliciter detexiſti, ne per ſomnium quidem cogitaturus quiſquam fuiſſet: ſuſpicantur tamen non pauci (ſuſpicax enim eſt humanum ingenium) te in detegendâ iſta hallucinationis noſtræ radice, fœdè hallucinatum eſſe; atque ne id temerè ab illis dictum putes, probant validiſſimè.

1. Quidem dicunt nullum unquam apud nos ita inſaniiſſe, vt aut ſcriberet, aut diceret, aut dubitando cogitaret continuò libertatis noſtræ exidium timendum eſſe, ſi concedatur gratia à principio extrinſeco, menti-

pe Deo producta, quæ in actum voluntatis liberum, ut liberum, & vitalem quidquam intrinſecè influeret; imò non pauci ſcribunt in libris, docent in ſcholis, in publicis tuentur diſputationibus, gratiam in nobis à Deo productam influere phyſicè in actus voluntatis, nullamque eſſe in actu libero & vitali perfectionem, quæ ab illâ gratiâ non producatur: id Ripalda, Medina, Oviedo, Sparſa, Leſſius, Valentia, & non pauci alii, ac plerique omnes jam in privatis ſcriptis docent. Suarez quidem putat non influere phyſicè, docet tamen expreſsè ex illo influxu non ſequuturum excidium libertatis etſi admitteretur, niſi velint, inquit, qui talem influxum tuentur, gratiam hujuſmodi ex naturâ ſuâ infallibiliter conjunctam eſſe cum operatione, quod ſolius prædeterminationis proprium eſt, & à nobis, ut norunt omnes, rejicitur; quid quod ipſe Suarez cum cæteris, qui gratiæ animam intrinſecè afficienti influxum phyſicum denegat, quia ſcilicet ſatis probari non putat hanc phi-

Digitized by Google

ſicè concurrendi vim gratiæ ineſſe; ipſe, inquam, Suarez cum reliquis, latè probat Spiritum Sanctum per ſe immediatè influere cum voluntate uno indiviſibilique influxu in actus noſtros ſupernaturales; quòd ſi libertatem cum eo influxu principii extrinſeci conciliari poſſe exiſtimavit, quantò magis juxtà principia ipſius Patris Labat, cum influxu ipſius gratiæ animam intrinſecè afficientis, faciliùs ſiquidem concipimus animam determinare gratiam ſibi intrinſecam ad operandum, quàm Deum ſibi omnino extrinſecum.

Non igitur *tam ruinoſo fundamento* nitimur ad negandam gratiam prædeterminantem, ſed longe diverſo, quod nullæ adhuc machinæ, nullæ artes, nullæ virium, ingeniorvmvè conſpirationes concutere, nedum ſubruere potuerunt: libertati itaque infenſam gratiam prædeterminantem contendimus, quia eſt aliquid antecedens, ex ſe ineluctabiliter cum operatione ad quam determinat connexum, quæque independenter ab operatione volun-

Digitized by Google

tatis prævisâ ita in nos immittitur, ut nec eam advocare, si non offeratur, nec respuere oblatam poſſimus: en fundamentum non unicum, non ruinoſum, ſed ex multis unum, adeoque firmum, ut hinc quidem rationis vis omnis, quâ non tam docemur, quàm à naturâ ipſâ instituti ſentimus, quid ſit liberum; illinc verò Tridentini authoritas manifeſta ſubque deque everti oporteat, quàm iſtud collabatur, aut etiam nutet: deſine itaque mirari *viros, alioquin, ut ais, prudentiſsimos adeò incautè tam labili fundamento inniti*, & in mentem revoca vel ipſum operis tui titulum, in quo *ſolutionem objectionis intricatiſsimæ, ac difficillimæ à multis tentatam, à nemine hactenus obtentam* promittis: proponitur illa objectio, ni fallor, contra gratiam prædeterminantem, eſt intricatiſſima, ac difficillima, ut ipſe titulus loquitur; & nemo hactenus illam clarè ſolvit: an putas argumentum hujuſmodi, quod tot tantique viri fruſtrà ſolvere tentarunt eſſe *fundamentum adeo ruinoſum, ut mirum ſit viros pru-*

dentiſsimos tali fundamento nixos opinionem amplecti, quam Eccleſia poſt diuturnum examen ab omni cenſurâ vindicat, & in Academiis omnibus tutò liberéque doceri approbat? præſertim cum oppoſitam nemo hactenus tueri valuerit, niſi exclamando, O altitudo! myſterium inſcrutabile! captivandum intellectum, &c.

Vides itaque, Lector, ex quâ radice fructus illos quinque jam ante à me enumeratos prodire velit R. Pater, quæ radix cum jam non præciſa ſolùm, ſed penitus auulſa ſit, fructus quoque iſtos præcoces marceſcere ſtatim miſerè ac decidere opportet: unum tamen, ex quo cæteros quiſque æſtimare poſſit in medium profero.

Ex illo igitur principio, quo ut fingit, negamus gratiam influere phyſicè in actus liberos, ne videlicet perimatur libertas, ſequitur nullam dari veram ad juſtificationem dipoſitionem, quoniam actus fidei ſpei, & charitatis, quibus hoc negotium agitur, ut à nobis procedunt, non poſſunt eſſe ſupernaturales, procedũt enim ex cau-

Digitized by Google

ſâ purè naturali, ſolam ſiquidem potentiam vitalem, aut liberam ex innatâ virtute ſuâ immediatè influere in hujuſmodi actum ut vitalem, aut ut liberum à nobis doceri ſcribit: maximè, inquit, quia nullus effectus poteſt eſſe ſupernaturalis niſi procedat à gratia: atqui juxta nos actus ille, ut prodit à nobis modo libero non procedit à gratiâ, ſed à ſolo Deo: ergo, &c.

Multiplex eſt hic aut hallucinatio; aut poëtica fictio. ſed adeo pinguis, ut ſibilo dignior ſit quàm animadverſione: nam primò oſtendi ex ſcriptoribus noſtris plures phyſicum gratiæ influxum in actus noſtros admittere: ergo falſo falſius eſt actus noſtros liberos juxtà nos non procedere à gratiâ etiam phyſicè. 2. Suſtinent omnes nullo excepto procedere ab eadem gratiâ moraliter. 3. Qui negant influxum phyſicum gratiæ, docent tamen, nullo prorſus excepto, Deum ipſum elevare animam & uno eodemque influxu cum illa producere actus ſupernaturales, ita ut nihil omnino

Digitized by Google

ſit in effectu, quod non pendeat indiviſibiliter à Deo ſimul, & ab animâ, nemo enim inter nos adeo inſanit, ut aliquid ponat in effectu, quod à ſolà animâ, aliud verò quod à ſolo Deo producatur, duos ſiquidē influxus partiales procul à Scholâ noſtrâ amandamus.

Elevari autem animam non credimus per qualitatem aliquam in ipsâ receptam, quæ actus ſupernaturales recipiat, aut ſaltem producat, otiante interim animâ, quod quorumdam potius commentum eſt poëticum, quam tolerabilis vel Philoſophia, vel Theologia: ſed dicimus animam elevari, quatenus aſſumitur ad producendum effectum, qui ſuperat tum omnes illius vires, tum comprincipiorum omnium, quibuſcum naturaliter conjungi poteſt ad operandum; quod rurſus duobus modis fieri poteſt: primò quidem à ſolo Deo, qui concurrere velit cum animâ ad effectum ſupernaturalem per concurſum, animæ omninò indebitum, cum è contrà in productione rei naturalis, exhibeat concurſum

debitum cauſis ſecũdis: ſecundò res poteſt fieri à Deo ſimul & aliquo alio cõprincipio ſupernaturali animæ infuſo: primo modo illuminationem, & inſpirationem in nobis producit, poſteriori verò cum habitu charitatis, & juxta multos, cum ipsâ illuminatione, & inſpiratione anima producit actum charitatis per influxum, qui animæ quidem actiuitatem, ſi ſolitariè ipſa ſumatur, ſuperat, non tamen, ſi ſumatur anima cum ipſo habitu, & illuminatione: ex quo inferimus potentiam obedientialem dicere aliquid naturale, nempe ipſam entitatem animæ, & aliquid indebitum naturæ, & quod totam illius exigentiam tum actiuam, tum paſſiuam ſuperet: quare falſum eſt actus ſupernaturales fidei, ſpei, &c. Produci à cauſâ purè naturali, cum procedant à Deo ſupernaturaliter concurrente, & à gratiâ moraliter, imò juxta communem noſtris opinionem, phyſicè influente: nec vel unum è noſtris proferet, qui contrarium dicat.

Sed, inquit, implicat actum ſupernaturalem attingi à virtute naturali, quippe

quippe quæ improportionata eſt ad hujuſmodi effectum; probat id quidem naturaliter non poſſe attingi, & non eſſe debitum cauſæ naturali ſolitariè ſumptæ influxum ad actum ſupernaturalem; at nihil ſuadet, ubi quæritur quid Deus abſolutè poſſit: ſed qui ſic objicit, putat juxta communem Thomiſtarum Philoſophiam, potentiam obedientialem conſiſtere in qualitate quâdam animæ infuſâ per quam anima efficit, & recipit effectus ſupernatuales: quæ opinio cùm à cæteris ſcholis meritò exulet, ſupereſt, ut objectio illa fundetur in aëre, & evaneſcat in fumum, quòd ne gratis videar dixiſſe, quæro; vel illa qualitas eſt vitalis, vel non; ſi primum debet produci ab animâ, ergo aliquid naturale attinget aliquid ſupernaturale: ſi alterum eligas, & dicas eſſe mortuam: cur, quæſo, non poterit elevari aliquid naturale ad producendum activè aliquid ſupernaturale, cum elevetur ad recipiendū aliquid ſupernaturale?

Deinde ſi voluntati denegetur concurſus immediatus in actus ſupernatu-

Digitized by Google

rales, qvo jure vitales dicentur, cùm non producantur à principio vitali? quo jure liberi cùm à voluntate non procedant? denique concilia ſi potes Theologiam illam cum Trid. ſeſſ. 6. Canone 4. *Si quis dixerit*, inquit, *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum veluti inanime quoddam nihil omnino agere, meréque paſsivè ſe habere omnino, anathema ſit*: atqui merè paſſivè ſe haberet voluntas, & nihil omnino produceret, ſed reciperet ſolùm qualitatem productivam, ut aqua ſe habet merè paſſivè reſpectu caloris, quem producit per calorem in ſe receptum: ergo &c. Supereſt itaque, ut quinque illa incommoda, quæ ex malè notâ radice germinare volebat R. Pater, pinguis ſit non fructuum, ſed falſitatum manipulus.

Digitized by Google

CAPVT XI.

An Diuus Thomas prædeterminantibus faveat.

QVI præmotiones phyſicas tuentur, authoritatem D. Thom. ſic adverſariis objiciunt, ut nec de mente ſancti Doctoris, quæ in hac re fuerit, dubitari à quoquam poſſe, nec ab illius ſententiâ, ſi quæ ſit, manifeſtò deprehendatur, diſcedere cuiquam ſine aliquâ notâ licitum eſſe videantur exiſtimare: quâ in re & plus nimio ſibi tribuunt, dum Angelicum Doctorem ita interpretantur, quaſi præter ipſos nemini conceſſum eſſet illius ſenſus inveſtigare, & inveſtigando aſſequi, nec quid D. Thomæ debeatur, ut noſtra in illum reverentia judicio conſtet, ſatis attendunt: quamvis enim de D. Thomæ ſententiis nulli dubium eſſe poſſit, quin magno in pretio, & honore habendæ ſint,

Digitized by Google

cautionem tamen in his aliquam adhibendam eſſe, & in amplectendis illius opinionibus modum tenendum nemo ſapiens non videt: neque enim Divi Thom. opera inter libros Canonicos recenſet Eccleſia; nec aliquid continuò tanquam fide certum credendum eſt, quia D. Thomas hoc dixit; imò nec notam incurrit aliquam, qui in his controverſiis, quas nondum ſuprema Eccleſiæ authoritas definivit, cum alio quàm cum D. Thomà ſentire malit, alioquin notam incurreret totus, quantus, quantus eſt Franciſcanorum ordo, qui Divo Bonaventuræ & Scoto adhæret, quos quis neſcit in multis gravibuſque Theologiæ utriuſque moralis & ſcholaſticæ quæſtionibus à Divo Thom. plurimùm diſſidere? notam incurrerent Academiæ celeberrimæ Salmaticenſis, Alcalæ, & conimbricenſis, in qui bus exhedræ excitatæ ſunt, quæ unius Scoti nomine perſonant, in quibus unus ſedet Scotus quaſi ingeniorum atbiter, & cæteris valere juſſis unius Scoti ſententia quæritur, & de-
Digitized by Google

ſenditur: notam incurreret ipſa veritatis columna Sedes Apoſtolica, quæ Scoti doctrinam Divi Thom. doctrinæ plerúmque contradictoriè oppoſitam, non modò commendat, ſed legem Fratrum Minorum de illâ tuendâ Benedicti 13. Authoritate confirmat: at inquies, Chriſtus ipſe D. Thomam de ſe bene ſcripſiſſe ait: temerarium fore eum libenter concedam, qui id D. Thom. à Chriſto dictum negaret: verùm hæc quoque Scoti prærogativa eſt, ut illius de Sacramento Euchariſtiæ doctrina cœlitus fuerit commendata, ſic enim Beato Amedeo, quem dum in terris degeret, Angelus erudiebat, ab eodem Angelo dictum legimus: *ſentias de ipſo*, nempe de Sacramento Euchariſtiæ *ſecundùm modum, quem ſcripſit unus Doctor ordinis ſui, qui eſt plenus ſanctitate, quia primus gladium exemit pro Conceptione immaculatâ*, tumque Amedeo Angelus Scotum oſtendit beatorum diademate redimitum, & aureolâ Doctoris inſignem: Hæc Ludovicus Manganelis in vita Scoti: deinde illam D. Thom.

doctrinæ commendationem à Chriſto factam non ignorant ſummi Pontifices, & tamen Scoti doctrinam omhino in multis oppoſitam commendant ſummopere: & legem de illa amplectenda confirmant: Diuum verò Bonauenturam *in ſimili cum D. Thom.* laudatione conſtituunt: ſic enim in conſtitutionibus Pontificum præter alia multa legimus: *doſtrinam* (loquitur Sixtus 5. Prædeceſſoris ſui verba appellans) *doctrinam*, inquit, *ſancti Bonaventuræ in illo ipſo Concilio Lugduneuſi ſpectatam in ſimili laudatione* cum doctrinâ ſcilicet D. Thomæ, *veriſsimè celebravit*; ibidem *hos duos Sanctos perſimiles, & quaſi geminos in Chriſto fratres agnoſcens ſtatuerit Sixtus 4. ſanctum Bonaventuram conſimili venerationis; & honoris prærogativâ decorandum*: cum ergo Divi Bouaventuræ doctrinam ſic ſummi Pontifices extollant, & Scotum ſic commendent, quamvis à Divo Thomâ paſſim diſſideant, quid ſupereſt niſi quod ipſe Pater Ioannes à Sancto Thomâ alterum Ordinis Prædicatorum lumen

Digitized by Google

ſcribit in tractatu de approbatione & authoritate doctrinæ Divi Thomæ, eſſe veriſſimum; cuique videlicet licitum eſſe cum alio ſentire, eamque dumtaxat eſſe Divi Thomæ authoritatem, ut opinio quam ipſe tuetur, etſi omnis alia ratio deeſſet, vel eo nomine probabilis fiat, quia Divus Thomas ita ſenſit.

Quod verò pertinet ad Divi Thomæ interpretes, cum una ſit omnium conditio, errori videlicet obnoxia, ſua cuique ingenii vis & judicii firmitas certis limitibus definita, nemo, ut puto, facilè intelliget, quo iure aliqui hanc ſibi prærogativā vindicarent, ut in inveſtigandis Divi Thomæ ſenſibus ipſi ſoli clarè videant, cæteri verò omnes nec numero, nec, quod forſan aliquis ſuſpicabitur, ingenio, doctrinâ & exercitatione plerumque diſpares cœcutiant miſerè, & niſi cum ipſis ſentiant, perpetuò hallucicinentur; anceps plerumque eſt Divi Thomæ ſententia & quæ in ſenſus aut valdè diverſos, aut omnino oppoſitos facilè flecti poſſit, unde frequens de

Digitized by Google

mente illius quæ fuerit, diſſidium eſt inter illius interpretes etiam Dominicanos; quid mirum ergo ſi cùm ne ipſi quidem ſecum conveniant in multis, nos ab illis in multis quoque diſſideamus? aut unde, quæſo, habent ſe in inveſtigandâ Doctoris Angelici ſententiâ genuinos illius ſenſus conſtanter aſſequi: cæteros verò procul ab his infeliciter aberrare? an dicent ſe in hoc interpretandi munere præcipuo quodam lumine fuiſſe donatos, quo nullus inter ſuos aberret à vero? unde ergo inter illos vel de unâ prædeterminatione ingeniorum diſſidia: alii enim volunt eſſe qualitatem, alii modum, alii eſſe ipſammet actionem cauſæ ſecundæ prout eſt à Deo præmovente, alii motionem quamdam virtuoſam: ſed rurſus unde aut nobis aut illis conſtat hoc illos privilegium è cœlo habere, ut in explicandâ Divi Thom. ſententiâ nunquam errent? an quia ejuſdem cum Divo Thom. ordinis religioſi? eamdem igitur prærogativam ſibi tribuent in interpretandis Divi Aug. ſcriptis Patres ordines

S. Aug.

S. Aug. & quia D. Thomas alter eſt Auguſtinus, ſed contractus, pari perſpicacitate & infallibilitate in aſſequendâ Divi Thomæ ſententiâ cum Prædeterminantibus gaudebunt, non paucos tamen inter illos, eoſque eruditiſſimos novimus, qui prædeterminationem phyſicam Autoribus D. Auguſtino, & D. Thomâ negant. iterum ergo quæro, unde infallibilitatem illam nobis illi ſuadeant? & quoniam id dicere nec volunt, quæ illorum modeſtia eſt, nec poſſunt: fateamur omnes cuique noſtrûm in ſcrutandâ Divi Thomæ ſententiâ proclive eſſe errare, nec alter alterum ſpretæ D. Thomæ doctrinæ reum pronunciet, donec de illius mente ita conſtet, ut de illâ dubitare nemo jure poſſit: quis autẽ ad illius ſenſus probabiliùs accedat in hac controverſiâ de prædeterminatione phyſicâ, cuique maximè faueat D. Th. expendamus: ſed priuſquam teſtimonia ex illius operibus proferantur, operæ pretium duxi pauca præmittere, quæ huic liti dirimendæ non parùm proſint.

ARTICVLVS I.

Præmittuntur aliqua inveſtigandæ Divi Thomæ ſententiæ pernecesſaria.

PRimum quod præmitto eſt, adverſarios inter & nos convenire dari gratiam efficacem : Deum facere ut faciamus ; dare poſſe & agere ; Deum præmovere voluntates noſtras per gratiam prævenientem ; Deum prædefinire ſaltem bona opera ; eſſe cauſam primam in agendo ; applicare cauſas ſecundas ad agendum ; cauſam ſecundam agere in virtute primæ, & eſſe illius inſtrumentum ; gratiam efficacem ſortiri infallibiliter ſuum effectum &c. Diſcrepamus autem in modo explicandi illud ipſum in quo convenimus : ita utrinque conceditur dari gratiam efficacem, Deum facere ut faciamus, &c. Sed ſi quæras, quomodo Deus facit ut faciamus ? an quia gra-

Digitized by Google

tiam infundit, quæ voluntatem ineluctabiliter determinet ad agendum? an ſolùm, quia gratiam infundit, qua cum prævidit voluntatem operaturam, ſi daretur? hîc ſtatim diſſidemus, & unus uno, alius alio modo longè diverſo rem explicat: ut in philoſophiâ conveniunt omnes res eſſe in loco, res durare, dari continuum, cauſas agere, &c. Sed ſi modum quæras, illicò in contrarias partes itur, & alii dicunt res eſſe in loco, durare, & agere, per qualitatem quamdam modalem; alii negant:totum iſtud velim, Lector, eruditus diligenter obſervet.

Præmitto ſecundò fruſtrà ab utriuſque partis defenſoribus in cauſam ſuam ea ex D. Thomâ proferri teſtimonia, quæ aliquid dumtaxat utrique opinioni commune enunciant, & quod omnes utrimque & ex æquo complectuntur: ut ſi quis in phyſicâ ex Ariſtotele probare vellet res eſſe in loco, vel durare per modum aliquem intrinſecum rei duranti ſuperadditum, operam ſuam luderet, ſi nihil aliud proferret ex Ariſtotele, quàm

Digitized by Google

iſtud: *ex Ariſtotele res ſunt in loco, res durant*; ergo durant ex Ariſtotele per durationem intrinſecam & rei ſuperadditam: nihil prorſus tali teſtimonio in gratiam opinionis ſuæ conſequeretur, ſed conceſſo antecedente negaretur conſequentia; neque enim tunc controuerteretur, an res ſint in loco, quod ſolùm his verbis affirmaret Ariſtoteles, ſed de modo, quo ſunt in loco, de quo nihil hîc Ariſtoteles: iſtud quæſo, Lector in primis obſervet: nam vel hoc uno principio, teſtimoniorum, quæ ex D. Thom. ab adverſariis afferuntur, maximam partem nullo operæ pretio adduci ſtatim deprehendes, quâ in re non modò in adducendis D. Thomæ teſtimoniis, ſed etiam Scripturæ peccatur: vix videas aliquem qui ad probandam prædeterminationem illud non adducat. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud*: ergo datur prædeterminatio: locum profers, qui rem aſſerit inter Catholicos omnes certam, nempe Deum quocumque voluerit inclinaturum cor Regis, quod

nihil eſt aliud quàm penes Deum eſſe mouere Principes per gratias efficaces, quibus infallibiliter obtineat, quidquid voluerit, unde idem eſt ac ſi diceres: ex Scripturâ datur gratia efficax: ergo ex Scripturâ datur gratia prædeterminans; egregiam ſanè conſequentiam! quaſi verò Scriptura non poſſit aſſerere primum, nempe dari gratiam efficacem, & tacere ſecundum, illam ſcilicet eſſe prædeterminantem: quid, quæſo, neceſſe fuit Scripturam afferre, ad probandum quod nemo negat? de ſola conſequentia inter nos controvertitur, an ſcilicet conceſſâ ſemel gratiâ efficaci ſequatur eam eſſe prædeterminantem, hoc verò tacet ſcriptura in eo loco, qui certè non magis prodeſt adverſariis in hac cauſa, quàm contendenti res eſſe ex Ariſt. in loco per ubi diſtinctum, aut continuum componi ex partibus proportionalibus, iſtud dumtaxat ingeminare: *ex Philoſopho res ſunt in loco: ex Philoſopho datur corpus continuum:* ergo, &c. Ratio eſt, quia ut ex ſcriptis cujuſpiam Doctoris dirima-

tur controverſia inter duos orta, proferri debet locus aliquis, qui alteri partium cauſam adjudicet, ita ut ex tali loco deprehendatur ſentire cum uno, & diſſentire ab altero: at hoc non præſtat in his locis, in quibus nihil aliud dicit, quàm quod ipſi qui diſputant ſumma conſenſione dicunt: finge D. Thom. in terris adhuc vivere, eumque à nobis & ab adverſariis conſuli, an gratia efficax quam omnes admittimus ſit prædeterminans nec ne? ſi conſulentibus nihil aliud reſponderet, quàm *dari gratiam efficacem*, quis non videt controverſiam hoc reſponſo nōdum eſſe diremptam, imo nec delibatam, ſed de novo adeundum eſſe Doctorem Angelicum, & ab illo quærendum, quâ ratione gratia efficax ſit efficax? Iſtud & ratione, & exemplis urgendum putavi; quia quamvis ſit per ſe manifeſtum, videtur tamen ab adverſariis plerumque non ſatis obſervari, quippe qui ex D. Thom. non alia ut plurimùm afferant ad probandam prædeterminationem teſtimonia, quàm quæ exprimunt ali-

Digitized by Google

quid utrique parti commune, & de quo nulla inter nos eſt controverſia, ut articulo ſequenti abundè probabitur.

Præmitto tertiò: cùn non ſufficiat ad dirimendam authoritate D. Th. controverſiam noſtram, aliquid ex illo addycere in quo omnes convenimus, reliquum eſt ut afferatur ex D. Thomæ operibus aliquid proprium & ſingulare opinioni quam quiſque defendit: ita ut ſtante illo, quod ex D. Thomâ objicitur, neceſſe ſit ſtare juxta S. Doctorem opinionem quam ſequeris. Quare

Præmitto 4. præ oculis in hac controverſiâ habendum, quid prædeterminationis maximè propriũ ſit & ſingulare prout ab opinione noſtrâ differt, quod ut meliùs intelligatur, primò dicam, quid non ſit illius proprium, ſi ſermo ſit de gratiâ efficaci, de quâ ut plurimùm loquitur D. Thom. in his locis, qui nobis opponuntur.

Proprium itaque illius gratiæ prædeterminantis non eſt, quòd antecedat qnomodocumque actum in ordine ad.

quem datur, quòd voluntatem moveat, & cum ſit prior actu præmoveat ad actum: hoc enim habet omnis gratia præveniens; quòd det agere; quòd ſit victrix & infallibiliter connexa cum effectu; quòd faciat invincibiliter ut faciamus: iſta inquam, & ſimilia, quæ eòdem recidunt minimè propria ſunt gratiæ prædeterminantis, quatenus ab illâ quam nos admittimus differt: nam illa omnia tribuimus & nos gratiæ efficaci quam tuemur, neque hactenus diſſentimus.

Proprium igitur gratiæ prædeterminantis provt à noſtrâ differt, eſt 1. ut ſit omnino antecedens omnẽ vſum libertatis & ab illa prorſus independens, ita ut decernatur antequam Deus prævideat quid factura ſit voluntas ſi detur 2. ut ex ſe determinet voluntatem ad actũ in ordine ad quem datur, & quem antecedit. 3. ut ita ſit ex ſe connexa cum actu ad quem datur, ut impoſſibile ſit non actum cum illa componi. Sunt & alia hujus qualitatis quidem propria, ut quòd det ſolùm agere & non poſſe, & quòd ſit qualitas

qualitas mortua, ſed iſta non ſunt ita connexa cum prædeterminatione, ut etſi admitterentur, quod abſit, prædeterminatio negari non poſſet. Ex quibus infero quamvis ex D. Thom. Deus ſemper influeret aliquid in ipſam cauſam liberam antequam ageret, non tamen hinc poſſe confici Deum ex D. Thom. prædeterminare voluntatem, niſi aliunde probent ex eodem D. Thom. illud quod Deus influit, habere quod maximè proprium eſt prædeterminationis.

Præmitto 5. in inveſtigandâ Doctoris alicujus ſententiâ attendendum eſſe in primis ad ea quæ in illius ſcriptis clara ſunt & minimè dubia; ſi quid autem anceps & obſcurum occurrat, ubi contrarium ſentire videatur, rationi maximè conſonum eſt, ut quæ in eo loco obſcurè dixit, interpretemur per ea quæ alibi ſcripſit clariùs; non vice versâ, quod clarè dictum eſt, explicemus ex loco in primis impedito, & ambiguo: quâ in parte peccant non pauci graviſſimè, qui vel ex uno loco ancipiti & obſcuro ſexcenta lu-

Digitized by Google

cidiſſima teſtimonia in gratiam, non veritatis, ſed præjudicatæ opinionis interpretantur; quod nihil eſt aliud quàm certa explicare per incerta. Præterea non parùm juvat noſſe loquendi modos hujuſmodi Doctori familiares & proprios: paucos enim Scriptores invenias, qui vel ex uſu illorum temporum quibus ſcripſere, vel ex jure aliquo, quod ſibi in detorquendâ unius voculæ ſignificatione uſurpant, ut quid ſentiant, ipſi aut clariùs, aut breviùs, aut vehementiùs exprimant, ſingularem aliquem non habeant loquendi modum.

Hæc præmittenda duxi, quoniam ſi religiosè obſerventur, pauca vel omnino nulla ex D. Thom. teſtimonia deproment, quæ vel ad primam ſpeciem tolerabili quadam probabilitate Prædeterminantibus favere videantur, ſed concedetur id quod ex D. Thom. aſſumetur in antecedente, & negabitur prædeterminatio, quæ hinc malè inferetur, ut ex ſequenti articulo facilè conſtabit.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Solvuntur quæ ex D. Thomâ in gratiam Prædeterminationis afferri ſolent ab Adverſariis.

BReviter expediam quæ fusè à Patre Fulienſi in defenſione Divi Thomæ, & à P. Ruiz in diſputationibus de ſcientiâ & voluntate Dei pertractata ſunt, ac primò quid nobis objiciant ex D. Thom. expendo, & claritatis ergo in certa capita diſtribuo: quoniam autem duobus modis poteſt Autor aliquis docere ſententiam aliquam; 1. diſertis terminis ita ut expreſsè doceat quæ maximè propria ſunt illius ſententiæ: 2. implicitè, quoniam principia habet ſibi propria, quæ cum tali ſententiâ neceſſariò cõnexa ſunt: primi generis teſtimonium nullum prorſus habere contendo adverſarios, quod argumento eſt D. Thom. numquam de prædetermina-

tione admittenda cogitaſſe : qui enim fieri potuit, ut cum innumeris in locis ſeſe obtulerit occaſio, imò neceſſitas naturam prædeterminationis explicandi, nempe ubi agit de libertate, de concurſu Dei, de gratiâ efficaci, de permiſſione peccati, de prædefinitionibus, &c. Nihil unquam expreſsè, & in terminis docuerit, quod contrariæ opinioni non conveniat, & prædeterminationis, prout à noſtra opinione differt, proprium ſit. Secundi generis teſtimonia plura congerunt, ſed quàm nullo operæpretio, hic vide ſi vacat.

Obiiciunt 1. ea teſtimonia in quibus S. Thomas docet Deum movere cauſas ſecundas ad agendum, & iſtas non agere niſi motas à Deo: ergo inquiunt, influit in illas per influxum in illis receptum. Reſp. ex D. Thom. Deum movere cauſas ſecundas ad agendum, eſt illis tribuiſſe vim quam habent ad agendum : ita gravia dicit moveri à generante 1. 2. q. 9. a. 6. & iterum q. 17. a. 9. *Motus gravium & levium, inquit, conſequitur formam ſubſtantialem ipſorum, unde &*

Digitized by Google

à generante moveri dicuntur; & 1. p. quæſt. 105. art. 4. ad 2. probat non repugnare voluntatem à Deo moveri licet moveatur à ſeipsâ: quia *moveri voluntariè* inquit, *eſt moveri ex ſe, id eſt, à principio intrinſeco, ſed illud principium intrinſecum poteſt eſſe ab alio principio extrinſeco: & ſic moveri ex ſe non repugnat ei quod movetur ab alio*: ubi vides voluntatem dici moveri ab alio: quia ab illo accipit principium intrinſecum, quo producit ſuos actus. Hinc autem patet quàm otiosè nobis objiciantur teſtimonia, quæ nihil aliud habent, quàm à Deo moveri cauſas ſecundas, quod nemo negat: unde in formâ concedo antecedens ex D. Thom. petitum, & nego conſequentiam. R. tamen 2. eſto totum, nam quamvis ex eo quòd Deus moveat cauſas ſecundas ad agendum ſequeretur influere in illas aliquid in illis receptum: non tamen hinc probares hujuſmodi influxum eſſe prædeterminantem, quod maximè controvertitur.

Inſtant: quia ſic Deus movet cauſas

ex D. Thomâ, *ut ſit primum movens*, *& prima cauſa efficiens*: hoc totum ultrò concedimus, ſed quid hæc ad prædeterminationem? nam omnis noſtra operatio vel eſt neceſſaria, vel libera, ſi neceſſaria reducitur in Deum illius initium tanquam in cauſam primam, quia in aſſignandâ ratione, cur ſit talis operatio, deveniendum eſt ad aliquod primum: hujuſmodi autem eſt Deus, qui dedit talem naturam agenti: ita S. T. 3. contra gentes cap. 89. interprete Ferrar. ibidem: ſi libera; *devenire ſimiliter oportet ad aliquem actum, quem nullus alius præcedat ut cauſa, & ipſius Deus eſt cauſa, qui voluntati dedit naturalem inclinationem in illum actum, aut quantum ad exercitium, aut quantum ad ſpecificationem*, ita idem interpres ibidem: vult ergo S. D. actus voluntatis liberos reduci in Deum, ut in cauſam primam: quia talem ipſe intellectui & voluntati noſtræ inclinationem & naturam dedit, ut præſente objecto, naturaliter per quoſdam motus indeliberatos operetur voluntas, quibus poſitis voluntatis eſt ſe

Digitized by Google

determinare ad hoc vel illud amplectendum, aut repudiandum ex iis objectis, quæ illi proponuntur. Ita S. D. q. 6. de malo. a. unico: quo eodem ſenſu ſæpiùs dixit S. D. Deum ut univerſalem cauſam primam determinare voluntatem noſtram ad ultimum finem, ſeu ad bonum in communi: voluntatem autem ex arbitrio ſe determinare ad hoc vel illud bonum particulare.

Objiciunt 2. loca illa in quibus S. Thom. aſſerit cauſas creatas inclinari â Deo ad agendum: ergo illas prædeterminat: Reſp. Negando conſequentiam: nam eatenus Deus inclinat cauſas ad agendum, quatenus naturalem illarum inclinationem produxit, eo planè modo & ſenſu, quo dicitur movere cauſas ſecundas, ut conſtat ex 1. p. q. 105. a. 4. ad 2. quem locum jam citavimus; in corpore autem ejuſdem art. duobus modis ait à Deo moveri voluntatem noſtram. 1. ut ab objecto, cum enim ſit bonum univerſale, ſolus eam implet, & movet ſufficienter ut objectum: 2. ut à causâ agente & inclinante interius, quatenus virtus vo-

Digitized by Google

lendi cauſatur à ſolo Deo, quod maximè Dei proprium eſt, inquit, quia ſcilicet res creatæ poſſunt quidem movere aliquatenus voluntatem objectivè, non tamen per modum cauſæ efficientis ipſam voluntatem.

Confirmatur ex 1. p. q. 60. a. 1. ad 2. ubi diſſerens de modo, quo Angeli à Deo moventur: *Angelus*, inquit, *agitur, in quantum inclinatio naturalis eſt ſibi indita ab Autore ſuæ naturæ, &c.* Hanc autem inclinationẽ vocat quamdam impreſſionem primi moventis, non quidem ut velit eſſe aliquid ſuperadditum naturæ, ut impreſſio ſuperadditur phyſicè & realiter ſagittæ, ſed quia talem ipſe condidit naturam quæ inditam, & impreſſam haberet hanc inclinationem, eo ſcilicet modo, quo *ſignaſſe* dicitur *ſuper nos lumen vultus ſui*, hoc eſt nobis imaginem ſui impreſſiſſe, ut communis fert interpretatio: comparatur autem cum inclinatione ſagittæ, quia ut à ſagittario inclinatur ſagitta ad ſignum determinatum, ita voluntas ex natura ſuâ determinata eſt ad amandum bonum

num univerſale ſaltem quoad ſpeciem, ſed ipſa per rationem ſe determinat ad volendum hoc vel illud bonum : interdum tamen Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum , quod eſt bonum : ſicut in his quos movet per gratiam , ad contritionem *v. g.* & non ad alium actum ; quæ omnia quâ in re quæſo juvant prædeterminationem ?

Obiiciunt 3. ex D. Thom. cauſas ſecundas eſſe inſtrumenta Dei ; applicari à Deo ad agendum ; eas agere in virtute Dei : hæc omnia ferè colligit S. D. q. 3. de potentiâ, a. 7. ubi hæc habet : *ſic ergo*, inquit, *Deus eſt cauſa actionis cuiuslibet , in quantum dat virtutem agendi & in quantum conſervat eam , & in quantum applicat actioni, & in quantum eius virtute omnis alia virtus agit* : unde inferunt dari ex D. Thom. prædeterminationem, ſed quo jure id inferant id ex D. Thom. ſequi certè non intelligo , nam quicquid hîc dicit D. Thom. ultrò admittimus, an autem hinc ſequatur prædeterminatio; tacet omnino S. D. nec immeritò,

cum non magis hinc inferri poſſit prædeterminatio quàm ex luce tenebræ: nam primò quòd Deus ſit cauſa actionis: quia producit & conſervat ipſam cauſam, non arguit prædeterminationem: quæ enim conſequutio inter iſta duo: Deus producit & conſervat cauſam quæ agit, ergo illam prædeterminat ad agendum? certè nulla. Secundò cauſam applicari actioni à Deo nihil eſt aliud quàm Deum cauſæ jam productæ & habenti ex parte ſui omnia ad agendum requiſita exhibere omnipotentiam ſuam ita paratam ad concurrendum, ut neceſſaria ſtatim agat, non ſtet autem per ipſum quominus libera agat: & iſta eſt applicatio in actu primo: eaſdem etiam applicat ad actionem alio modo, nempe concurrendo ſimultaneo concurſu cum cauſis ſecundis ad ſingulas illarum operationes: denique ejus virtute omnis alia virtus agit, quatenus omni cauſæ exhibet omnipotentiam, cujus virtute fit, ut cauſa creata agat, ab illâ enim pendet ipſa actio creaturæ, quæ omnipotentiæ exhibitio dici poteſt appli-

Digitized by Google

catio in actu primo, concurſus verò ſimultaneus applicatio in actu ſecundo, quâ applicatur, ſeu conjungitur cauſa cum ſuo effectu: præterea D. Thom. dicit cauſas ſecundas agere in virtute primæ: quia eſſe eſt proprius effectus cauſæ primæ, ut pote vniverſaliſſimus; unde ſolus Deus poteſt producere rationem entis ſecundum totam ſuam latitudinem: quare cætera agentia non producunt eſſe, niſi quatenus ſunt inſtrumenta cauſæ primæ & in virtute illius agunt: cùm ergo nulla cauſa poſsit alteri tribuere eſſe niſi ipſa exiſtat, & habeat eſſe, neque habeat eſſe niſi Deo tribuente & conſervante, hinc ſanctus Doctor, ait res non agere niſi in virtute Dei: quæ illius mens conſtat clarè ex 3. contra gentes cap. 66. *ex hoc*, inquit, *manifeſtum eſt, quod omnia inferiora agentia non dant eſſe, niſi in quantum agunt virtute divinâ: nihil enim dat eſſe, niſi in quanaum eſt ens actu: Deus autem conſervat res in eſſe per ſuam providentiam*: quaſi diceret agentia inferiora non dare eſſe niſi in virtute

divina, quia non dant eſſe niſi quatenus ipſa ſunt actu, ſeu habent eſſe, ſed non ſunt actu, ſeu non habent eſſe niſi virtute divinâ illud tribuente & conſervante: ergo non agunt niſi virtute Dei: ubi autem hîc prædeterminatio? hanc inveniſſe putant q. 3. de potentia a. 7. ad 7. ubi S. Thom. ait virtutem naturalem, ineſſe rebus ut quamdam formam habentem eſſe firmum & ratum in naturâ: *ſed id quod à Deo, fit in re naturali, quo actualiter agat; eſt inquit, ut intentio ſola habens eſſe quoddam incompletum, per modum, quo colores ſunt in aere, & virtus artis in inſtrumento artificis.* Locum iſtum amant imprimis adverſarii, quoniam obſcurus eſt, quo fieri poteſt ut qui rem non intelligunt, myſterium prædeterminationis in illis tenebris, tanquam rem ſacram in adytis deliteſcere imaginentur: ſicque obſcuritate unius loci obtineant, quod ducẽtis clariſſimis amittunt: ac ut videas quantum illis faveat ille locus, eum ego cauſæ meæ ſic vindico, & ex illo probo non dari prædeterminationem. Ex D.T. hîc

Digitized by Google

Prædeterminatio non eſt id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat: ergo non datur prædeterminatio: probatur antec. Id quod fit à Deo in re naturali, quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola per modum, quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis: atqui prædeterminatio phyſica non eſt in re naturali, ut ſola intentio, per modum quo colores in aëre, &c. Ergo prædeterminatio non eſt id quod fit à Deo in re naturali, &c. Minor eſt certa, nam 1. intentio non eſt extra intellectum: colores autem non ſunt re verâ in aëre, ſed in corpore colorato, ſimiliter virtus artis non eſt in inſtrumento, quamvis enim ſerra *v. g.* habeat vim ſcindendi, non tamen ſcindendi artificioſè, ſeu juxta regulas artis, ſed intentionaliter tantùm, ſcilicet per denominationem extrinſecam ab arte artificis, à quo movetur; unde ſic ſubſumo: eodem modo prædeterminatio eſt in cauſis, quo colores in aëre: ſed colores non ſunt in aëre: ergo nec prædeterminatio in cauſis. Vides, Le-

Digitized by Google

ctor, quantò clariùs in eo loco D. Thom. adſtruat prædeterminationem, quàm deſtruat: illa videlicet eſt loci obſcuri natura, ut in varios ſenſus trahi poſſit.

Reſpondeo tamen directè, 1. etſi concederemus D. Thomam hîc voluiſſe à deo aliquid fieri in re naturali, quo actu ageret, inferri ad ſummum poſſet aliquid in causâ produci priùs quàm agat: ſed an illud ſit determinans ad actionem, & immiſſum in voluntatem independenter omnino à libertate: neque D. Thom. hîc tradit, neque hinc deduci poteſt; imò oppoſitum alibi paſſim ſcribit: ita q. 1. de virtutibus a. 1. ait *potentiam quæ eſt tantùm agens non indigere ad hoc quod ſit principium actus, aliquo inducto*, & alibi ſimilia, quæ articulo ſequenti afferam.

Reſp. 2. Vt ſerra v. g. habet vim ſcindendi artificiosè intentionaliter, & per denominationem extrinſecam ab arte artificis à quo movetur: ita cauſæ ſecundæ quæ non magis operari poſſunt ſine concurſu Dei, quam

ſerrâ ſine artifice, dicuntur agere juxta regulas divinæ artis denominatiuè à ſcientia & voluntate Dei ipſas ad ſuos fines dirigentis: quia igitur cauſa creata perinde agit ex arte divinâ ac ſi illam in ſe haberet, dicitur virtus illa eſſe in cauſa, ſed ut intentio ſola, &c.

Ad id autem quod addunt in confirmationem eorum quæ hactenus objecere, cauſas ſecundas eſſe ex D. Thom. *inſtrumenta cauſæ primæ*, atque adeo ut ſerra priùs quàm agat, accipit aliquid in ſe ab artifice, quo determinetur ad agendum; ſic cauſæ omnes à Deo aliquid prævium accipere. R. 1. Si ſermo ſit de voluntate noſtra non poſſe D. Thom. docere voluntatem eſſe inſtrumentum ad inſtar ſerræ, alioquin non magis foret libera quàm ſerra, nec ageret, ſed ſolùm ageretur: eſt ergo mitiganda illa comparatio, quò autem ipſi mitigationem illam extendent, ut longius à nobis extendi non poſſit? quare voluntas non eſt merum inſtrumentum quod moveatur & & non ſe moveat: ita Diuus Thomas,

Digitized by Google

1. 2. quæſt. 21. art. 4. *dicendum*, inquit, *quod homo ſic movetur à Deo, ut inſtrumentum, quod tamen non excludit, quin moveat ſe ipſum per liberum arbitrium*: cæterum movere ſe per liberum arbitrium eſt ex D. Thom. agere ex ſe ipſo 4. contra gentes, cap. 22. agere autem ex ſe ipſo, eſt ſe determinare ad agendum: ergo excludit aliud quod voluntatem determinet: denique ſi comparetur voluntas ad effectus ſupernaturales, tunc magis propriè dicitur inſtrumentum, quia cum ſit improportionata ad illos, recipit à Deo auxilium ſupernaturale nempe gratiam prævenientem, ſed non determinatricem.

Quod ſi ſermo ſit tum de voluntate tum de cæteris cauſis naturalibus, falſum eſt propriè eſſe inſtrumẽta, loquor de cauſis ſecũdis principalibus, ſed interdum à graviſſimis Theologis ita vocantur ad ſignificandam ſubordinationem quam habent ad Deum, & ſimilitudinem cum inſtrumento, quatenus, 1. ſcilicet non agunt niſi per virtutem acceptam à Deo nempe virtutem pro-

ducendi

Digitized by Google

ducendi ſecum identificatam, ut ſerra *v.g.* accipit ab artifice vim ſe movendi, ſed ſibi realiter ſuperadditam. 2. quatenus cauſa ſecunda cum illa virtute quam accipit eſt adhuc improportionata ad aliquid producendum, niſi conjungatur cum virtute principali, nempe omnipotentia. quæ conjunctio fit per decretum divinum, ut ferram ſibi conjungit artifex per aliquem actum voluntatis ſuæ.

Objiciunt 4. ex D. Th. in 2. diſt. 37. q. 1. a. 2. ad 5. Deum dare cauſis creatis eſſe, poſſe, & agere: ergo Deus prædeterminat cauſas ſecundas. Magna quidem in antecedente inter nos conſenſio, ſed par in conſequentiâ diſſidium: nec ſanè prædeterminationem hinc rectè inferri juxta doctrinâm ſancti Thomæ umquam probabunt: nam in eo loco Divus Thomas ex profeſſo eos refutat qui dicebant actum peccati non eſſe à Deo in quantum actus eſt; negabant autem illi Deum influere in actum peccati, ne ſcilicet influendo fieret autor peccati, ac proinde negabant concurſum ſimul-

taneum, quem omnes neceſſarium eſſe dicunt: ergo D. Thom. dum contra illos ſtatuit non ſolùm eſſe, ſed etiam agere eſſe à Deo, nihil aliud vult quàm concurſum ſimultaneum quem illius adverſarii rejiciebant: id autem D. Thomæ fuiſſe propoſitum conſtat ex eo quod ſequi ait ex tali opinione duo eſſe prima principia: *hoc enim eſt*, inquit, *de ratione primi principii, ut agere poſſit ſine auxilio prioris agentis, & influentiâ eius*, &c. Cum ergo per concurſum ſimultaneum Deus verè adjuvet cauſam ſecundam, & influat in operationem, evidens eſt nullam fore rationem à D. Thom. hîc allatam, ſi aliquid aliud præter concurſum ſimultaneum probare vellet: ergo ſimultaneum dumtaxat admittit: idem ſuadet aliud quod, inquit, ſequeretur ex opinione illâ quam refutat, nempe *Deum non fore cauſam univerſalem omnium entium: quia actio peccati eſt ens..... ergo ſi actiones peccati à Deo non ſunt, aliquod ens.... à Deo non eſſet & ita Deus non eſſet cauſa univerſalis omnium*, &c. Vides D. Thom. nihil

aliud velle quàm actionem peccati eſſe à Deo: atqui verè eſt à Deo, ſi concurſu ſimultaneo in illam Deus influit, licet non in cauſam influat: ergo D. Thomas, dum ait Deum dare cauſis agere, loquitur de concurſu ſimultaneo: quid ergo hic D. Thomæ cum prædeterminatione, de quâ nullus hîc loquendi locus? ſed dices, Deus dat nobis agere, quod procul dubio non eſt dare potentiam, cum iſta poſſit eſſe ſine actione: ergo ut det agere, debet infundere prædeterminationem: R. ut det agere, abundè ſufficere, quòd tum virtutem agendi nobis concedat & conſervet, tum nobis concurſum ſimultaneum exhibeat ſine quo nihil unquam à nobis fieret.

Objiciunt 5. ea teſtimonia in quibus D. Thom. ait omnia à Deo prædeterminari: hæ voces quoad ſonum favent adverſariis, in re autem nocent: voces iſtæ *prædeterminare*, *prædeterminatio* interdum apud D. Thom. ſunt idem ac prædefinire, prædefinitio, præordinare, ut ipſi contendunt adverſarii, qui hinc deducunt Deum ex

D. Thom. res noſtras prædefinire, quod nos quoque docemus, ſed controverſia inter nos eſt, an decretum illud prædefiniens ſit abſolutum, efficax, & antecedens omnem uſum libertatis noſtræ, tum in ſtatu abſoluto, tum conditionato: an verò Deus prædefiniat actus noſtros, bonos quidem poſitivè: malos autem permiſſivè per decretum quod præſupponat in Deo ſcientiam quâ præviderit, quid factura ſit voluntas, ſi tali auxilio in talibus circumſtantiis præveniatur; quo modo res fiat, tacet hic D. Thom & prædefiniri res à Deo docet, quod nos quoque admittimus: vides itaque, Lector, non aliter adverſarios nobis ſimilia teſtimonia objicere, quàm qui probaturus res eſſe in loco per ubi diſtinctum, objiceret ex Ariſtotele res eſſe in loco.

Præter illum ſenſum in quo *prædeterminatio & prædeterminare* à Divo Th. ſic accipitur, ut idem ſit ac *prædefinitio, & prædefinire* alium illis tribuunt adverſarii, quo motionem quamdam ex naturâ ſuâ cum actu ad

Digitized by Google

quem movet indeclinabiliter connexam à D. Thom. adſtrui contendunt: nam 1. p. q. 19. a. 3. ad 5. ait, voluntas noſtra cùm ſe habeat ad utrumlibet... oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum: verùm quæ initio hujus articuli diximus ſatis oſtendunt D. T. nihil aliud velle, quàm voluntatem noſtram, ut liberè aliquid velit, indigere aliquâ cogitatione quâ excitetur aliquis amor indeliberatus, aut deſiderium circa bonum: ſed poſitis his motibus indeliberatis, ad quos determinatur ex naturâ ſuâ propoſito extrinſecus objecto, ipſa voluntas determinat ſe ad hoc vel illud, quod expreſsè docet 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. *dicendum*, inquit, *quod Deus movet voluntatem hominis ſicut univerſalis motor ad univerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum, & ſine hac univerſali motione homo non poteſt aliquid velle, ſed homo per rationem determinat ſe ad volendũ hoc vel illud.... interdum tamen Deus movet ſpecialiter ad aliquid determinatè volendum.... per gratiam*, quando ſcilicet excitat ali-

Digitized by Google

quem *v. g.* ad cõtritionem determinatè non ad alium actum : quæſtio itaque eſt an voluntate ſic determinatâ ad motus illos indeliberatos, indigeat præmotione aliquâ ut liberè velit propoſitum ſibi objectum : at jam conſtat voluntatem ex D. Thom. ſe ipſam ad hoc vel illud determinare, quâ in re, ait D. Thomas voluntatem noſtram differre à divinâ, Deus enim cum ſit primum ens, nec indiget, nec poteſt aliquo priori excitari ad volendum hoc vel illud : dices ex Diuo. Thom. 1. 2. q. 10. a. 4. in corp. *ſic Deus voluntatem movet, quòd non ex neceſſitate ad unam determinat* : ergo vult S. D. determinari ad unum, & tamen non neceſſitari : fruſtrà enim adderet *ex neceſſitate* ſi omnis determinatio neceſſitatem afferat. R. Nego conſequentiam, nec fruſtrà addidit *ex neceſſitate*: quia hæ voces explicant clariùs quod dixerat obſcuriùs per τὸ *dederminare ad unum*, familiare autem eſt Patribus & omnibus omnino hominibus, ut ſufficienter re per unam vocem expreſſâ, alias adjungant, quæ clarius idem ex-

primant; ac ne quis putet hanc meam interpretationem prorſus arbitriariam eſſe, ipſum D. T. profero, nam is ut dicat cauſam aliquã neceſſitari, modò id explicat per τὸ *ab alio determinari*, modò per τὸ ex neceſſitate determinari: ita 2. ſent. diſt. 25. q. 1. a. 1. ad 3. ait *Deum operari in unoquoque ſecundùm eius conditionem, unde in rebus naturalibus operatur... ſicut determinans ad talem actionem, in libero autem arbitrio hoc modo agit... ut determinatio actionis & finis in poteſtate liberi arbitrii conſtituatur*, rurſus in eodem art. *liberum arbirrium non invenitur in illis quorum actiones non determinantur ab ipſis, ſed à quibuſdam aliis cauſiis prioribus*: en ex D.Thom.Deus in rebus naturalibus, id eſt cauſis neceſſariis (eas enim opponit liberis) *operatur ſicut determinans* hoc eſt neceſſitans, alioquin cùm etiam juxta adverſarios determinet liberas, non aſſignaret diſcrimen inter utraſque: rurſus liberũ arbitrium non inveniri in cauſis quæ non determinantur à ſe, ſed ab alio, idem eſt ac neceſſitari cauſas hujuſmodi:

Digitized by Google

quod autem hîc per ſolam vocem *determinari* ſignificat, alibi clariùs exprimit per iſtas *ex neceſsitate determinari*; ita q. 24. a. 14. de verit. ubi ait principium naturale eſſe id, *ex quo de neceſsitate determinata operatio ſequitur*, & alibi; quid pluribus rem manifeſtam urgerem?

Cæterùm quia voluntas determinatur ad motus illos indeliberatos, & neceſſitatur ut diximus, jamque ſic determinata ſe ipſam ad hoc vel illud volendum liberè determinat, dicitur à D. Thom. eſſe quodammodo in actu & potentià, *ſed non ſecundum idem*, inquit, q. 6. de malo a. unico, *ſed per hoc quod aliquid vult in actu, ſe movet ad volendum aliquid aliud in actu*, unde dici poteſt eſſe determinata, nempe ad primos illos motus neceſſarios, & indeterminata, ſeu indifferens ad actus liberos, quos ulteriùs ponit.

Denique objiciunt ex D. Thomâ 1. 2. q. 10. a. 4. ad 3. ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt ad illud non moveri, & 2. 2. q. 24. a. 11. ait impoſſibile eſſe quòd Spiritus Sanctus

Digitized by Google

Sanctus velit aliquem movere ad actũ charitatis, & quod ipſe charitatem amittat peccando: hinc autem inferunt prædeterminationem; ſed fruſtrà: nam hoc totum quod ex D. Thom. afferunt nos ultrò dicimus, ſed cùm ſit duplex impoſſibilitas una antecedens, & alia conſequens ſeu ex ſuppoſitione quam libertas facit, primam à prædeterminatione ortam (eſt enim talis naturæ, ut cum illâ impoſſibile ſit conjungi negationem actus) reiicimus, alteram quam libertas facit, admittimus, & de iſtâ loqui D. Thomam certum eſt, nam ſæpe docet ſuppoſitionam, quam non eſt in noſtrâ poteſtate tollere, & quâ poſitâ non poſſumus non agere, perimere libertatem, hujus modi autem eſt prædeterminatio: deinde eâdem neceſſitate docet res quas Deus videt, eſſe futuras, quâ neceſſe eſt eum currere, quem currentem video: atqui me videre currentem, ſupponit eum de facto currere, & impoſſibile eſt ut non currat, ſi videam currentem, ſed impoſſibilitate ſuppoſitionis, & conſequente, ut patet: er-

Digitized by Google

go cum ex D. Thom. res quas Deus videt, ſint eâdem neceſſitate futuræ, non aliam S. D. in illis agnovit neceſſitatem quàm conſequentem & ſuppóſitionis, quam libertas facit; quia verò eodem modo impoſſibile eſt aliquid non eſſe, quo neceſſe eſt eſſe, impoſſibilitatem quoque conſequentem & ſuppoſitionis ſolùm ab illo admiſſam eſſe neceſſe eſt. Quæres cum in noſtra ſentētia, gratia quâ Deus me movet efficaciter ad actum charitatis *v. g.* poſſit ex ſe componi cum non actu, quomodo neceſſe ſit neceſſitate conſequente me elicere hunc actum & impoſſibile non elicere? Reſp. neceſſitatem illā & impoſſibilitatem oriri ex eo quòd Deus cujus perſpicaciæ nuda ſunt omnia & aperta, præviderit me liberè eliciturum hujuſmodi actum, ſi in talibus circumſtantiis me tali auxilio præveniret: cum ergo Deus in prævifione illa falli non poſsit, certè hoc ipſo quòd ſtante illa præviſione futuri mei actus dat mihi illud auxilium in his circumſtantiis, in quibus prævidit me liberè amaturum, ſi daretur, ſequitur

impoſsibile eſſe me non amare, & neceſſariò me amare : aliunde verò Deus prævidit me amaturum liberè, quia ego liberè eram amaturus, non autem ego eram amaturus, quia Deus hoc prævidit; cum ergo Deus non videat me amaturum, niſi quia amaturus ſum; cum dicimus neceſſe eſt ut amaturus ſim ex ſuppoſitione, quòd Deus me videat amaturum, perinde eſt ac ſi diceremus, neceſſe eſt quod amaturus ſim, ex ſuppoſitione quod amaturus ſim, quæ neceſsitas, ut patet, cõſequens eſt, & ſuppoſitionis, quæ libertatem impedire non poteſt, cum fiat ab ipſa libertate : eodem ſenſu gratiam efficacem vocamus cum Auguſt. *victricem* & cætera ferè nomina quibus donatur ab adverſariis, uſurpamus; ſed ſenſu longè diverſo, qualem videlicet Patres intelligunt, & natura libertatis requirit.

Ad illa ferè capita reducuntur teſtimonia omnia, quæ ex D. Thom. nobis obiiciuntur, quæ latiùs proſequitur Pater à ſancto Ioſeph in defenſione D. Thomæ, quod opus quiſquis le-

Digitized by Google

gerit, prædeterminatus ſit oportet, ut Divo Thomæ opinionem de phyſicâ prædeterminatione tribuat.

ARTICVLVS III.

Selecta quædam Divi Thomæ teſtimonia contra prædeterminationem proferuntur.

NON ſolo delectu, ſed etiam numero contendere poſſem Diuum Thomam in hac controverſia de phyſica prædeterminatione totum noſtrum eſſe, pauca tamen ex illius operibus teſtimonia profero; ſed ea, ut quæ predeterminationis maximè propria ſunt, apertè deſtruant. Ad tria autem genera, ne longior ſim, ea reduco.

Primum genus complectitur teſtimonia in quibus expreſsè aſſerit voluntatem non determinari ab alio, ſed ex ſe: nam l. 2. ſent. diſt. 25. q. 1. a. 1....

Digitized by Google

liberum arbitrium, inquit, *non invenitur in illis, quorum actiones non determinantur ab ipſis agentibus, ſed à quibuſdam aliis cauſis prioribus*. Et diſt 39. q. 1. a. 1. de voluntate noſtrâ ſic diſſerit: *ipſa potentia voluntatis quantum in ſe eſt, indifferens eſt ad plura: ſed quod determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non eſt ab alio determinatè, ſed ab ipsâ voluntate*. Et art. 2. probat peccatum eſſe in ſolâ voluntate: quia *ratio culpæ procedit ab eo qui habet dominium ſui actus: hoc autem eſt in homine ſecundùm illam potentiam quæ ad plura ſe habet, neque ad aliquid eorum determinatur niſi ex ſe ipsâ; quod tantùm voluntati competit*. Similiter 1. contra gentes cap. 68. ait *dominium voluntatis in actus excludere determinationem ad unum, licet non influentiam cauſæ ſuperioris*: denique primâ parte, quæſtione 22. articulo 2. ad 4. ait Deum hominem ſibi reliquiſſe, *quòd non præfigitur ei virtus operativa determinata ad unum, ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantùm, non autem ſeipſa agunt* plura in eumdem ſenſum referre ſuper-
Digitized by Google

ſedeo, ſed ex illis locis ſic argumentor.

Qui negat quod eſt maximè proprium prædeterminationis, negat ipſam prædeterminationem: atqui in his locis diſertè & expreſsè D. Thom. negat quod maximè proprium eſt prædeterminationis: ergo negat prædeterminationem. Major eſt evidens, nam prædeterminatio ſtare non poteſt, niſi ſtet quod in primis illi convenit, & eſt quaſi character & differentia illius. Minorem autem probo. Prædeterminationis maximè propriũ eſt ac ſingulare voluntatem determinare ad unum: nam juxta adverſarios Deus non ſolùm prædeterminat ad actionem, ſed ad modum actionis, & ad omnem illius perfectionem: atqui D. Thom. in locis à me allatis expreſsè negat voluntatem ad unum determinari: ergo negat, quod maximè proprium eſt prædeterminationis: ad probationem minoris relegantur teſtimonia jam à me allata, & qui ea legere non dedignabitur, attendat, quæſo, an diſertiùs, & expreſſiùs potuerit à D. Thom. rejici, quod in præ-

determinatione primarium, ac quaſi palmare eſt: hinc Adverſarii clamant *voluntatem determinari ad unum*; illinc D. Thom. ſæpiùs inculcat *voluntatem non determinari ad unum*; quæ igitur inter Adverſarios & D. Thomam conſenſio eſſe poteſt? Rurſus D. Thom. ait *voluntatem non determinari niſi ex ſeipsâ*; adverſarii contendunt determinari ab alio. Iterum Diuus. Thomas docet *quòd voluntas determinatè exeat in hunc actum, vel in alium, non eſſe ab alio determinatè*: at Adverſarii docent quòd exeat in hunc actum determinatè, eſſe ab alio determinatè. Denique D. Thom. conceptis verbis negat *liberum arbitrium inveniri in illis, quorum actiones non determinantur ab ipſis agentibus, ſed à quibuſdam aliis cauſis prioribus*: Adverſarii verò affirmant inveniri libertatem in illis quorum actiones determinantur à quibuſdam aliis cauſis prioribus, nempe Deo, qui procul dubio eſt cauſa prior; ſi conveniant, qui tam oppoſita loquuntur, facilè poſthac conciliabuntur, omnes omnino Doctores, & quantum-

vis contraria ſcribant & dicant, idem tamen ſapient omnes, & una erit omnium in omnibus ſententia: quid reponant ipſi videamus.

Reſpondent 1. Ad eum locum D. Thom. *liberum arbitrium non reperitur in illis quorum actiones non determinãtur ab ipſis, ſed à quibuſdam aliis.* Duo, inquiunt hîc D. Thom. requirit ad tollendam libertatem, 1. vt non determinetur agens à ſeipſo 2. ut ab alio determinetur: at voluntas licet determinetur ab alio, ſe ipſam tamen determinat. Huic reſponſioni oppono 1. ipſa verba D. Thom. quæ ita clara ſunt, ut niſi cavillari velimus, hunc ſenſum faciant: ut libertas reperiatur in aliquò requiritur, ut non determinetur ab alio, & ſeipſum determinet: qua in re S. Th. quid includat libertas, & quid excludat, eodem omnino modo explicat, quo cæteri homines loqui ſolent, ubi ſimiliter explicant, quid res aliqua includat, & quid neceſſariò excludat: ita ſi dixiſſet liberum arbitrium non reperitur in illis quorum actiones non determinantur ab ipſis, ſed ad illas extrinſecùs

extrinſecus coguntur, omnes faterentur D. Thom. hoc loquendi modo docuiſſe ad libertatem requiri duo: primum ut agens determinetur à ſeipſo: alterum ut non cogatur: ſimiliter ſi quis diceret: firma valetudo non reperitur in iis, qui non ægrotant quidem illi, ſed quovis caſu quamtumvis levi incidunt in morbum, omnes ſtatim intelligerent ad firmam valetudinem duo requiri, non ægrotare ſcilicet, & inſuper non incidere in morbum ex quacumque leviſſima cauſa: iterum, non reperitur in his ſupremum dominium qui authoritate propriâ nulli dominātur, ſed omnes illis dominantur: certè qui ita loquitur, vult ad ſupremum dominium requiri, ut qui illud habet, dominetur alicui propriâ authoritate: & ipſi non dominentur omnes: ergo à pari dum D. Thom. ait *liberum arbitrium non reperitur in illis quorum actiones non determinantur ab ipſis, ſed à quibuſdam aliis, &c.* Significat ad libertatem requiri duo, nempe ut agens ſe ipſum determinet, & inſuper, ut non determinetur ab alio

Digitized by Google

ad actionem, quam liberè producit. Verùm quid neceſſe eſt conſulere quid ſimili loquendi modo paſſim homines ſignificent, cum ipſe D. Thom. omnium optimus ſit ſui ipſius interpres.

Oppono itaque 2. allatæ reſponſioni D. Thom. qui diſt. 39. q. 1 a. 2. ut diximus, ſcribit libertatem eſſe in homine ſecundùm illam potentiam, quæ ad plura ſe habet, neque ad aliquid eorum determinatur niſi ex ſeipsâ, quod tantùm voluntati competit: unde ſic argumentor: ad libertatem ex D. Th. requiritur ut ſe habeat ad plura, neque ad aliquod eorum determinetur niſi ex ſe ipsâ: atqui ſi determinaretur à Deo, falſum eſſet non determinari niſi ex ſe ipsâ: ergo non determinatur à Deo: ergo D. Thom. dum ait liberum arbitrium non reperiri in illis quorum actiones non determinantur ex ſe, ſed ab aliis, vult ad libertatem requiri, ut non determinetur ab aliis ad actionem: ſi paris roboris teſtimonium pro prædeterminatione proferre poſſet P. Labat, illud quàm ſæpe, quàm magnificè opponeret!

Digitized by Google

Reſpondent 2. D. Thom. ubi ait *actionem voluntatis non eſſe ab alio determinatè, ſed ab ipsâ voluntate*; loqui de peccato; ſed qui ſic reſpondent deſerunt ſua caſtra: nam communis Prædeterminantium opinio eſt voluntatem prædeterminari etiam ad materiale peccati; deinde D. Thom. hîc loquitur etiam de actibus, qui non ſunt peccatum: nam loquitur de eo ad quod voluntas, eſt indifferens: atqui eſt indifferens ad plura, ad hunc vel illum actum, aſſenſum *v. g.* vel diſſenſum, quorum unus eſt peccatum, alter non: ergo loquitur etiam de actu, qui non eſt peccatum: denique quo fundamento ſic D. Thomam interpretantur, cùm ne unus quidem apex in eo extet, ex quo illa interpretatio colligi poſſit? alii aliter rem explicant, & volunt D. Thomam hîc docuiſſe actionem voluntatis non eſſe determinatè ab alio ejuſdem ordinis; quaſi verò non perinde noceat undecumque oriatur; vel nigredo denigret naturaliter, quando duntaxat eſt à causâ ejuſdem ordinis cum eo quod deni-

gratur.: non verò ſi ſit à cauſâ aliquâ ſuperiori, vide quæ diximus art. 2. p. 1. pag. 114. denique hanc interpretationem, quæ tota gratuita eſt, deſtruit ipſe Diuus Thomas: qui enim dicit voluntatem non determinari ab alio, non determinari niſi ex ſe ipsâ, is aut terminos non intelligit, aut excludit omne aliud determinans; quia ſi vel unum ſit, falſum eſt non determinari niſi ex ſe: ut qui diceret Angelum & animam rationalem non produci ab alio, & non eſſe niſi ex ſe ipsâ, haberetur continuò hæreticus: quia hic loquendi modus excludit omne principium; quòd ſi aliquis foret, qui hominis illius opiniones omnes amplexus contenderet, eum non docuiſſe Angelum non eſſe ens ab alio, ſed tantùm non eſſe ens ab alio ejuſdem ſecum ordinis, rideretur procul dubio ab omnibus, dum eas voces ſic interpretaretur: nec tamen interpretationem tam alienam aliunde probaret.

Secundi generis teſtimonia, quæ ex D. Thom. contra phyſicam prædeterminationem adduci poſſunt, ſunt illa, in quibus S. D. expreſsè & di-

Digitized by Google

ſertiſſimè negat Deum influere in cauſas aliquid prævium ad illarum operationem, quoties cum illis agit: id opuſc. 9. q. 38. clariſſimè docet, ubi ait propoſitionem iſtam *Deus non agit in animâ niſi per novum influxum*, falſam eſſe; atqui ſi detur præmotio ad omnes omnino effectus, non eſt falſa, nam juxta Adverſarios prædeterminatio eſt nouus, realis & propriè dictus influxus in anima receptus; idem tradit 1. p. q. 103. a. 1. ad 3. ubi illud diſcrimen ponit inter ſagittam emiſſam, & cauſam naturalem neceſſariam operantem, quòd ſagitta recipiat aliquid ſibi ſuperadditum & violentum, cauſa verò naturalis nihil aliud recipiat quàm naturam ſuam: illius verba repræſento. *Dicendum*, inquit, *quòd neceſſitas naturalis inhærens rebus, quæ determinantur ad unum, eſt impreſſio quædam Dei dirigentis ad finem: ſicut neceſſitas, quâ ſagitta agitur, ut ad certum ſignum tendat, eſt impreſſio ſagittantis & non ſagittæ: ſed in hoc differt, quia id quod creaturæ à Deo recipiunt, eſt earum natura. Quod autem ab homine rebus*

naturalibus imprimitur præter eorum naturam ad violentiam pertinet. Quærit in hoc, art. D. Thom. *an mundus gubernetur ab aliquo*, & cum ſibi objeciſſet *ea quæ in ſe habent neceſſitatem quâ determinantur ad unum non indigere exteriori gubernante*, concludit gubernari à Deo, & objicienti reſpondet neceſſitatem naturalem inhærentem rebus eſſe impreſſionem quamdam Dei dirigentis ad finem, ut neceſſitas quâ ſagitta agitur, &c. ſed mox diſcrimen jam allatum explicat, & concludit *neceſſitatem* illam *naturalem creaturarum*, quoniam ſcilicet à Dei ſapientiâ eſt ordinantis impreſſionem illam ad certos fines, *demonſtrare divinæ providentiæ gubernationem, ut neceſſitas violentiæ in motu ſagittæ demonſtrat ſagittantis directionem.* Vnde ſic argumentor: per illud cauſæ naturales diriguntur ad ſuos fines, quod illis à Deo dirigente imprimitur: ut per illud ſagitta tendit ad certum ſignum, quod à ſagittante accipit: atqui id quod imprimitur cauſis naturalibus non eſt aliquid diſtinctum ab illarum naturâ, eſt

Digitized by Google

enim illa impreſſio , inquit Diuus Thomas earum natura, in quo differunt à ſagittâ , quæ tendit in ſignum per aliquid ſuperadditum: ergo cauſis naturalibus, ut tendant ad ſuos fines & dirigantur, non imprimitur aliquid diſtinctum ab earum naturâ: confirmatur; ſi daretur prædeterminatio, per illam actu & maximè propriè cauſæ naturales dirigerentur ad ſuos fines: nam per illam ultimò determinarentur ad ſuas operationes; per quas de facto tendunt ad fines, quos ſibi proponit Deus, & ſine prædeterminatione nihil omnino agerent, nec conſequenter dirigerentur actu: ergo cum explicandam ſuſcepiſſet D. Th. hîc actualem mundi gubernationem, quæ fit per actualem directionem, debuit ad hanc explicandam recurere ad prædeterminationē: ad eam tamen non modò non recurrit, ſed eam expreſsè negat per diſcrimē quod affert inter ſagittam & cauſam naturalem: ergo, &c. Quòd ſagittæ exemplum eò libentius commemoro, quò frequentiùs ab Adverſariis nobis obiicitur, quoniam cum

Digitized by Google

cauſæ naturales ſint reſpectu Dei inſtrumentales (quo ſenſu explicuimus art. præcedenti) putant perinde aliquid à Deo ſibi ſuperadditum accipere ut agant, ac ſagittam à ſagittario; ut moveatur ad ſcopum, quod iſto loco, ut patet, negat S. D. tam apertè, ut dubitandi locum non relinquat.

Eôdem ſpectat quod habet q. 22. de verit. a. 8. in corp. ubi *Deum*, ait, *dupliciter immutare voluntatem, uno modo movendo tantùm.... ſine hoc, quod aliquam formam imprimat voluntati: alio modo imprimendo aliquam formam... ſicut enim ex ipsâ natura, quam Deus voluntati dedit, inclinatur voluntas in aliquid volendum, ita ex aliquo ſuperaddito, ſicut eſt gratia, vel virtus inclinatur ulteriùs ad volendum aliquid aliud, ad quod priùs non erat determinata naturali inclinatione*: denique q. 1. de virtutibus a. 1. idem docet his verbis; *potentia*, inquit, *quæ eſt tantùm agens non indiget ad hoc quod ſit principium actus aliquo inducto.... talis autem potentia eſt divina, intellectus agens, & potentiæ naturales*, tum agens de potentiis

tentiis quæ aguntur & agunt, docet quidem eas compleri per aliquid ſuperinductum, non tranſiens, ut eſſe fingitur prædeterminatio, ſed per modum formæ quieſcentis in ſubjecto, & hoc ait eſſe habitus: hinc ſic argumentor, qui aſſerit potentiam agere ſine hoc, quod Deus illi aliquam formam imprimat, & ut ſit principium non indigere aliquo inducto, hoc ipſo negat prædeterminationem: atqui D. Thom. in his locis aſſerit potentiam agere ſine hoc, quod Deus illi aliquam formam imprimat, &c. Ergo negat prædeterminationem: major quæ ſola poteſt controverti probatur: nam prædeterminatio immiſſa in voluntatem eſt forma aliqua potentiæ impreſſa, eſt etiam aliquid ſuperinductum: ergo qui negat formam aliquam imprimi, & principium indigere aliquo actu, negat hoc ipſo prædeterminationem.

Aliud addo, quod jam à me allatum eſt, petiturque ex 1. p. q. 22. a. 2. ad 4. ubi ait *non præfigi homini virtutem operativam determinatam ad unum*

Digitized by Google

ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantùm non autem ſeipſa agunt : atqui ſi daretur præmotio, præfigeretur : ergo non datur.

Hujus teſtimonii vim ut eludant, dicunt ſenſum illius eſſe : homini quidem & cauſis naturalibus, hoc eſt, neceſſariis præfigi virtutem determinatam ad unum, ſed cauſas naturales determinari, & non ſe determinare, cùm homo determinetur, & ſe determinet, ideóque à D. Thom. dictum eſſe contendunt homini non præfigi virtutem determinatam ad unum ſicut rebus naturalibus quæ aguntur tantum, &c. quis non videat propoſitionem illam D. Thom. detorqueri in alienum ſenſum? neque enim dicit utrique præfigi, ſed negat expreſsè homini præfigi : ut autem conſtet non eſſe legitimum illũ propoſitionis ſenſum quem illi affingunt ; comparo propoſitionem illam cum aliis : qui dicit *non præfigi homini virtutem determinatam ad unum ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantum & non agunt ſeipſa,* eodem modo loquitur ac ille qui pro-

baturus aliter in via ſe habere homi-nem cœcum, & hominem oculis præditum ſic diſcrimen inter iſtos duos explicaret: *homini oculis prædito non præit dux itineris ſicut cœco, qui ducitur & non ducit*: quis quæſo, non rideat hominem illum, qui ultimam propoſitionem ſic interpretaretur, ut vellet legitimum illius ex communi loquendi modo ſenſum eſſe: utrique præire ducem itineris, ſed ſolum hoc diſcrimen eſſe, quod oculatus dirigatur, & dirigat ſe, cœcus verò dirigatur & non dirigat ſe; atqui utrobique eſt idem loquendi modus, & termini ſunt in utrâque propoſitione eodem modo diſpoſiti: ergo utramque interpretari debemus eodem modo; cum itaque ultimæ legitimus ſit ſenſus hominem oculis præditum ſeipſum dirigere & non duci, cœcum verò duci, ſic quoque primæ ſenſus eſt, homini non præfigi virtutem ad unum determinatam, præfigi autem cauſis naturalibus; ſimiliter ſi quis diceret; ſcribendi perito non adhibetur aliena manus, quæ illius calamum regat, ſicut imperito, qui ſe-

Digitized by Google

quitur ductum alterius in ſcribendo ; rideres ſi aliquis ita rem interpretaretur, ut vellet utriuſque manum dirigi, ſed hoc diſcrimine quod periti manus dirigitur, & ſe ipſam dirigit. Innumeras hujuſmodi propoſitiones afferre poſſem quas nemini unquam in mentem venit ſic interpretari, ut Adverſarii jam ſæpiùs allatam explicant; ſed quis ægrè ferat in gratiam prædeterminationis nova conſulenda eſſe vocabularia?

Aliud eſt in hac interpretatione, quod dubitationem habet non ſatis, quod puto, expeditam: qui enim fieri poteſt ut voluntas à Deo determinata, ut volunt illi, ulteriùs ſe ipſam determinet, atque adeò & agatur, & ſe ipſam agat? nam 1. voluntatem jam à Deo determintam ſe ipſam agere, non eſt ſolùm voluntatem activè & efficienter concurrere ad actum ad quem eſt determinata; ſiquidem ignis determinatus à Deo ad producendum calorem, concurrit etiam efficienter. 2. ſe ipſam agere & determinare non eſt poſitâ determinatione Dei poſſe

ſuſpendere actum & conjungere non actum cum determinatione ad actum : quia hoc illi contendunt eſſe impoſſibile. 3. voluntatem determinatam à Deo ſe agere & determinare non dicit poſità determinatione diviná ad actum ſupereſſe in voluntate indifferentiam eamdem vel ſimilem, quam habebat antequam à Deo determinaretur, quia indigeret iterum à Deo prædeterminari, ubi enim eſt eadem cauſa præmotionis, debet eſſe eodem modo præmotio. 4. ſe determinare non eſt tranſire de potentia ad actum, alioquin ignis pariter ſe ipſum aget, & determinabit, ut eſt manifeſtum. 5. Se determinare non eſt agere cum potentiâ ad non agendum in ſenſu diviſo, quia etiam in opinione Calvini (dico quid diſputandum veniat citra cujuſquam cenſuram) dum voluntas determinatur ad amandum Deum, ſtat potentia in ſenſu diviſo ad odium, cum ſtet voluntas & judicium indifferens, ſtat etiam in homine in mediis tenebris potentia ad videndum, ut latè probavimus in prima parte, a. 2. c. 8.

quæ ergo iſta determinatio in cauſâ jam determinata? quæ illius neceſſitas? quæ poſſibilitas?

Ad tertium genus teſtimoniorum quæ contra prædeterminationem adduci poſſunt pertinent, ea quæ explicant infallibilitatem prædeſtinationis divinæ; unum dumtaxat profero petiturque ex q. 6. de verit. a. 3. ubi certitudinem prædeſtinationis explicat longè aliter ac qui jurant in illius verba, quod ut melius quivis intelligat.

Præmitto quando Deus aliquem ad gloriam prædeſtinat, ſeu vult illi efficaciter gloriam, hanc prædeſtinationem, ſeu efficacem Dei voluntatem eſſe certiſſimam: poteſt autem duobus modis explicari illa certitudo; primò ſi dicamus Deum ante omnem præſcientiam noſtræ operationis decernere ſalutem noſtram efficaciter & abſolutè, atque ut illam infallibiliter obtineat, auxilia nobis præparare, & ſuo tempore de facto exhibere, quæ talia ſint ut ex propriâ vi & naturâ indefectibilia ſint, nec qui his prævenitur poſſit ea reſpuere, ſed ita

eliciat actum ad quem impellitur, ut impoſſibile ſit cum tali auxilio prædeterminante ad actum, conjungi non actum: ita rem explicant Adverſarii. Secundò poteſt certitudo prædeſtinationis aliter explicari, ſi ſupponamus videlicet auxilia gratiæ, quæ Deus homini prædeſtinato præparat ex ſe quidem eſſe defectibilia, & ab homine reſpui poſſe cohibendo actum ad quem impellunt, vel etiam prorumpendo in oppoſitum: ita tamen à Deo ordinari, ut licet multa deficiant, alia tamen Deus in eorum locum ſufficiat exhibeatque, quibuſcum videt hominem de facto perſeveraturum, & infallibiliter ſalvandum. Ita ex communi apud nos opinione Pater à Sancto Ioſeph. Supereſt jam ut D. Thomam conſulamus, & quam ille ſententiam ſequatur in explicandâ prædeſtinationis certitudine inveſtigemus; an primam, quæ eſt Adverſariorum? an ſecundam, quæ noſtra eſt?

Sic igitur D. Thom. loco citato.... *alio modo*, inquit, pervenitur ad effectum infallibiliter (cætera ommitto

quoniam non ſunt neceſſaria) *quando ex concurſu multarum cauſarum contingentium, & deficere poſsibilium pervenitur ad unum effectum, quoniam unamquamque Deus ordinat ad conſecutionem effectus, loco eius quæ deficit, vel ne altera deficiat..... & hoc modo eſt in prædeſtinatione, &c.* Quæ cum ita ſint ſic argumentor: vel ex concurſu multarum cauſarum defectibilium, quarum unaquæque ordinatur ad conſecutionem effectus, loco ejus quæ deficit, &c. Deus poteſt pervenire certò & infallibiliter ad effectum quem ſibi propoſuit obtinendum, uel non poteſt: ſi primum: ergo fruſtra prædeterminatio ad explicandam certitudinem prædeſtinationis, cum ſine illâ explicari poſſit, & de facto à D. Th. explicetur: ſi ſecundum, ergo malè à D. Thom. adducitur iſte modus explicandi certitudinem prædeſtinationis, cum hac ratione certa eſſe non poſſit; & verò ſi neceſſaria ſit prædeterminatio cui bono Deus ordinat unam cauſam defectibilem ne altera deficiat? ſive enim multæ, ſive nullæ præceſſerint,

præceſſerint, prædeterminatio habebit infallibiliter ſuum effectum; timeret igitur Deus, ubi non eſt timor; quod vel ignavi, vel imprudentis eſt.

Deinde ſi ad obtinendum effectum loco cauſæ illius, quæ deficit, ponit aliam; vel ponit illam & ſimul prædeterminat ad effectum illum, vel ponit illam non prædeterminando ad effectum: ſi primum, falsò aſſerit D. Thom. tunc Deum pervenire ad effectum certò ex concurſu cauſarum defectibilium, ſed illum obtinet ex applicatione unius indeffectibilis, iſta quippe ſi ſola adſit, certò erit effectus, ſi ſola abſit, certò non erit: quid igitur juuant cæteræ omnes cauſæ, quæ præceſſerunt, ad habendum infallibiliter effectum? quàm extra rem; quàm fruſtra adduceretur ille cauſarum defectibilium concurſus, ſi neceſſaria foret prædeterminatio! ſed quis non ſtupeat D. Thom. in explicandâ illa prædeſtinationis certitudine infallibili recurriſſe ad multitudinem cauſarum defectibilium, quarum una ſi deficiat, altera ſuccedat, donec obtineatur ef-

Digitized by Google

ſectus? cum ſi prædeterminationem admiſerit, & prorſus inutilis futura eſſet illa cauſarum defectibilium ſucceſſio, & inexplicabile quomodo hac ratione certa foret prædeſtinatio, rem que totam facilè & expeditiſſimè explicuiſſet, unius commemoratione prædeterminationis, quam tamen tacuit. Si ſecundum per illam cauſarum ſucceſſionem nihil Deus obtinebit quia ſine prædeterminatione nihil fit.

Cæterùm ſuſtineri nullo modo poteſt media defectibilia quæ hîc D. T. recenſet eſſe tantum moralia, vel ad ſummum loqui S. Doctorem de ſolâ gratia ſufficiente, vel de gratiis gratis datis: nam ad iſta omnia aliquis recurrit, quæ facilè rejiciet vel hac unâ ratione. D. Thom. loquitur de mediis, quæ prædeſtinationem faciant infallibiliter certam, ut pluſquam ſatis conſtat; atqui ſola media moralia cum gratia ſufficienti, & gratiis gratis datis non reddunt prædeſtinationem infallibiliter certam: imò certum eſt apud prædeterminantes nullam fore

ſalutem cum his ſolis auxiliis: ergo dicendum eſt vel D. Thom. malè omnino explicare, quod explicandum ſuſceperat, nec probaſſe certitudinem prædeſtinationis, vel nullam juxta illum requiri ad ſalutem conſequendam prædeterminationem.

Plura quid afferrem cùm iſta abunde ſufficiant vt quotquot præjudicatas animo ſententias non habent, facilè intelligant, quo jure prædeterminantes D. Thom. in hac controverſia totum ſuum eſſe ſic dicant, ſic ſcribant, ut injuriam ſibi fieri aliquam præſeferant, ſi de illorum cum Angelico Doctore in hac parte conſentione dubites, cum tamen manifeſtò videantur ab illo diſſidere; quod ad confirmandum magis, compara, quæſo, quiſquis iſta legis, quid ipſi pro ſe contra nos, quid viciſſim nos contra illos afferamus: hoc inter nos diſcrimen obſervabis, ab illis proferri plerumque teſtimonia quæ ne ipſam quidem controverſiam attingunt, ſed veritates ab omnibus receptas de quibus nulla inter nos diſputatio, cujuſmodi ſunt

Digitized by Google

Deum eſſe primum agens; cauſas creatas agere in virtute primæ, & ſimilia in quibus convenimus omnes: at de modo, quo hæc fiunt, nihil illi ferè quod vel prima ſpecie cauſam ipſorum iuvet, ex D. Thom. depromunt: cum è contrario nihil à me allatum ſit, quod ad viſcera cauſæ non pertingat, & quæ maximè propria ſunt prædeterminationis non evertat: unde ſtatim recurrendum illis ad diſtinctiones procul accerſitas, quæ vel cum communi cæterorum hominum loquendi modo, vel cum aliis ejuſdem D.Thom. teſtimoniis pugnent: ſic tamen illi hujuſmodi teſtimonia, & longè plura, quæ paſſim obiiciuntur, excipiunt, ut quamtumvis aperta, quamtumvis expreſſa, & clara, nullius momenti eſſe ſignificent, & ne levi quidem examine dignentur; & quæ ex adverſo illi nobis opponunt, quamtumvis levia ſint, graviſsima tamen videri volunt, & vel minutiſsimos apices diligenter perſequuntur, & in omnibus prædeterminationem deprehendunt, quo jure autem ex toto iſto capite jam pluſquã ſatis conſtare puto.

CAPVT VLTIMVM,

In quo præcipua argumenta ab Adverſariis pro phyſicâ prædeterminatione proponi ſolita ſolvuntur.

PLura toto iſto iſto opere ſparſa ſunt, quibus non pauca ſolvantur, quæ ab adverſariis pro ſententia quam tuentur, contra noſtram quam refutant, proponi ſolent: ea iterum non revocabo in diſputationẽ, ſed alia diluenda ſuſcipiam quæ prædeterminantibus præcipua procul dubio videntur: quoniam vix alia plerumque cùm in privatis, tùm in publicis diſputationibus nobis opponunt: non eſt itaque animus argumenta hinc illinc colligere, quibus ſolutionem ſubiiciam; ſed celeberrima quæque.

Primum locum obtinebit argumentum ab authoritate Concilii Trid. petitum, quoniam & ſæpiſsimè proponi-

tur, & à P. Labat non eſt prætermiſſum; ſic autem habet.

Ex Trid. ſeſſ. 6. *ſi quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum.... Deo vocanti... non poſſe diſſentire ſi velit: anathema ſit.* Ex illo autem Can. ſic argumentantur: vel Concilium hoc loco non damnat Calvinum, vel damnat eos qui dixerint præmotioni phyſicæ liberum hominis arbitrium non poſſe diſſentire: ergo ex Trid. libertas ſtat cum prædeterminatione: & quoniam negamus antecedens, illud ſic probant: cum certum ſit Patres Conclii in hoc Canone damnare opinionem Calvini de gratiâ, propoſitio quàm definiunt debet eſſe contradictoriè oppoſita propoſitioni Calvini; alioquin Calvinum non damnarent: atqui Calvinus aſſerebat gratiæ ſeu motioni prædeterminanti liberum arbitriū non poſſe diſſentire: ergo Patres Concilii definiunt tanquam fide certam propoſitionem jam allatæ contradictoriam, nempe motioni phyſicè prædeterminanti liberum arbitrium poſſe diſſentire: hoc argumentum, ſeu

potiùs merum ſophiſma multis paginis urget P. Labat; & jamdudum contrivere quotquot hac de re egerunt; ac primò ſervatà eâdē omnino formâ illius vim omnem in adverſarios intorquent: nam cum in hoc Can. proſcripta ſit opinio Calvini, propoſitio Concilii debet eſſe illi contradictoriè oppoſita: atqui Calvinus aſſerebat gratiæ neceſsitanti non poſſe liberum arbitrium diſſentire: ergo propoſitio Concilii debet illi eſſe contradictoriè oppoſita, nempe gratiæ neceſſitanti liberum arbitrium poſſe diſſentire, quod tamen eſt falſo falſius: en argumentum in eâdem omnino formâ: major in utroque eſt omnino eadem: minor in utroque æquè vera: norunt enim omnes Calvinum docuiſſe gratiam neceſſitare eique liberum arbitrium non poſſe diſſentire, tamque certum eſt ut probatione non indigeat; conſequentia tamen Concilii Tridentini authoritatem evertit omnem: quod igitur machinæ genus eſt argumentum illud quod Manechini inſtar perſonam omnem pro arbitrio

argumentantis induit, vel exuit?

Non diſsimulat P. Labat telum illud in ipſos retorqueri, ſed ait eſſe merum ſophiſma; concedo equidem, ſed eâ lege, ut pari nomine tuum illud quod proponis & urges donare velis: neque enim eſt ovum, ut aiunt, ovo ſimilius, quàm argumentum â me propoſitum, argumento, quod nobis proponis: diſcrimen tu quidem affers, quod totum gratuitum ſit: *Concilium*, inquit, *agebat contra Calvinum, quatenus aſſerebat gratiam prædeterminantem libertati officere*: verùm quo argumento id probas? non alio quàm iſto: quia ſcilicet propoſitio Concilii debet eſſe oppoſita propoſitioni Calvini: atqui Calvinus aſſerebat prædeterminationẽ officere libertati: ergo, &c. eodem ego argumento utor in rem meam; & cum ea Concilii mens eſſet ut opinionem Calvini proſcriberet, ſic ſubſumo: Calvinus docebat gratiam eſſe neceſſitatem, eique voluntatem diſſentire non poſſe; quis hoc negare audeat? ergo ſi valeat ratiocinatio illa quam urget Adverſa-

rius

Digitized by Google

rius, debuit propoſitio Concilii, ut Calvinum damnaret, oppoſitum definire: probet igitur aliquis ex prædeterminantium ſcholâ, Calvinum non docuiſſe voluntatem à gratiâ neceſſitari, eique non poſſe liberum arbitrium diſſentire, ſicque hanc illius hæreſim ex ipſius operibus expungat, aut cum hoc ſibi impoſſibile ſentiat, fateatur argumentũ, quod ex Concilio contra nos deducũt eſſe merum ſophiſma.

Reſpondeo, tamen directè propoſito argumento: propoſitio Concilii debet eſſe contradictoria propoſitioni Calvini: atqui propoſitio Calvini fuit; prædeterminationi nos non poſſe diſſentire: ergo, &c. Reſp. inquam, diſtinguendo; propoſitio Concilii debuit eſſe contradictoria formaliter propoſitioni Calvini quam damnare intendebat concedo, alteri de quâ non diſputabat ſaltem neceſſariò nego majorem: atqui propoſitio Calvini fuit; prædeterminationi nos non poſſe diſſentire, hancque damnare intendebat Trid. nego; fuit illa Calvini propoſitio, ſed de quâ Conciliũ noluit expreſ-

ſè ſaltem pronuntiare, ſed Doctorum diſputationi relinquere, an conformis ſit veritati, concedo: ergo propoſitio Concilii debuit eſſe expreſsè & formaliter (prædeterminationi liberum arbitrium poſſe diſſentire) nego conſequentiam. Quænam ergo fuit Calvini propoſitio quam damnandam ſibi propoſuit Concilium? iſta ſcilicet motioni divinæ liberum arbitrium non poteſt diſſentire, cui ex adverſo Concilium dicit Anathema his verbis: *ſi quis dixerit liberum arbitrium motum à Deo.... non poſſe diſſentire ſi velit, Anathema ſit*. Vbi vides Concilium non deſcendere ad infinitas quæſtiones, quæ de naturâ illius motionis moveri poſſent, & de facto movebantur inter Patres Concilii, ſed iſta privatorum Doctorum diſceptationibus permittentes, definiunt quòd omnes amplecti debeant, nempe motioni divinæ voluntatem *poſſe reſiſtere, poſſe diſſentire ſi velit*, ad hanc regulam dirigenda eſt privata cujuſque hominis & ſcholæ opinio, & cavendum in primis, ne hujuſmodi divinæ motioni

Digitized by Google

aliquid affingant, quod cum definitione Concilii ſtare non poſſit.

Quare dicimus communiter Concilium in damnando Calvino præſcindere ex parte ſubjecti, hoc eſt, Concilium neque dicit motioni prædeterminanti phyſicè, neque prædeterminanti moraliter, neque motioni congruæ voluntatem poſſe diſſentire ſi velit; ſed *motioni divinæ* quæcumque illa ſit, de quo non diſputat, liberum arbitrium poſſe diſſentire, in quo quid Adverſarii habent quod jure reprehendant? reprehendit tamen Pater Labat & hoc reſponſum Concilio injurium dicit, *ſiquidem*, inquit, *ex illa interpretatione conſtat, Concilium fruſtrari ſuo intento, ad hoc enim in primis convenerat ut capitalem iſtum Calvini errorem de humanæ libertatis detrimento, ex gratiæ phyſicè prædeterminante provenientе damnaret*: nimirum tantæ molis erat prædeterminationem phyſicam ſartam tectam ſervare, ut Tridentum præcipua totius Chriſtiani orbis capita ad illius incolumitatem confluerent: age verò ad hoc in primis convene-

rat Concilium, ut errorem Calvini de phyſicâ prædeterminatione libertatem deſtruente damnaret? Quid ergo cogitabat ſedes Apoſtolica, cùm opinionem noſtram cēſuræ omni eximebat, & poſt diu agitatam in multis Doctiſſimorum virorum conſeſſibus utrimque controverſiam, æquali utriuſque partis ſententiam donabat prærogativa? ſummos Pontifices non latuit, quid in primis intendiſſet Tridentinum; non latuit Patres, qui in diſputationibus de auxiliis ſedebant cauſæ arbitri non iſtud tacuere procul dubio, quorum maximè intererat, ſed quæ fuiſſet Tridentini mens, in hoc Canone 4. Seſſ. 6. in cauſam ſuam ſunt interpretati; audiebant Iudices poſtulari à nobis prædeterminationem tamquam humanæ libertati contrariam; ad hæc pronuntiat ſummus Pontifex, ut cuique ſentire liceat, ut antea ſentit, & docere quod docuit citra tamen cujuſquam cenſuram; remque injudicatam Doctorum diſputationibus reliquit; an putas ſedem Apoſtolicam reliquiſſe diſputationi ad quod dam-

nandum in Calvino Patres Tridentini in primis convenerant? næ tu ſedi Apoſtolicæ maximè injurius es, ſi vel eam illi ac tantam inſcitiam affingas, ut ad quid præcipuè contra Calvinum convenerit Concilium, ignoraverit; vel in causâ Dei prævaricationem adeò ſtupendam tribuas, ut mentis Concilii probè conſcia, ſententiam tamen præcipuo illius ſcopo contrariam jure publico donaverit.

Cum itaque utriuſque partis defenſores ſententiam ſuam Tridentini authoritate ſic tueantur, ut contrariam eidem Concilio repugnare contendant, & ſummi Pontifices utramque cenſuræ omni eximant: ſupereſt ut expreſſam Concilii definitionem neutra opinio expreſsè & formaliter evertat: cujus hæc ratio eſt; quia ſcilicet non alia in hoc Canone Concilii mens fuit, quàm ut aſſereret contra Calvinum motione divinâ non perimi libertatem, ſed poſſe nos illi reſiſtere, & diſſentire, quod cùm utraque opinio libens lubenſque amplectatur, neutra pugnat expreſsè & formaliter con-

Digitized by Google

tra definitionem concilii, & ſcopum ipſi in primis propoſitum: quocum tamen ſtat, ut in explicandâ naturâ motionis divinæ aliquis qui Catholicè ſentiat, errare poſſit, quatenus ſcilicet aliquid illi tribuit, ex quo per legitimam conſequentiam ſequatur tali motioni liberum arbitrium non poſſe diſſentire, atque adeo cum illa non ſtare libertatem: talem nos contendimus eſſe præmotionem phyſicam; ſed an res ita ſe habeat nondum ſuprema authoritas definivit; vidit itaque ſedes Apoſtolica utriuſque partis defenſores cum Tridentino expreſsè convenire, quatenus omnes libertatem contra Calvinum tuentur; ſed an alterutra pars aliquid motioni divinæ tribuat, quod præter & contra mentem propugnantium repugnet eidem Tridentino, diſputationi permiſit; ex quibus ſatis maniſeſtè conficitur Tridentinum re verâ præſcindere ab opinionibus privatorum Doctorum, & dumtaxat definire motioni divinæ voluntatem poſſe diſſentire; qualis autē eſſe debeat illa motio, ut voluntas poſſit il-

li diſſentire , privatis Doctoribus investigandum permittit.

Nec certè neceſſe fuit ad conſulendum Eccleſiæ, deſcendere ad privatas opiniones, quibus explicari ſolet natura motionis divinæ : ſatis enim fuit ſi à gratia libertatem minimè lædi Concilium definiret, hac enim definitione proſcribebatur error Calvini, qui hoc unicè curabat, ut penes voluntatem non eſſet reſiſtere & diſſentire motioni divinæ, parùm ſollicitus qualis in ſe effingeretur à Doctoribus illius natura, modò neceſſitatem inferret ; docuit ille quidem hujuſmodi motionem eſſe prædeterminantem & ex ſe efficacem, quia cum à gratiâ liberum arbitrium perimi vellet, putavit hujuſmodi excidium certò ſequuturum, ſi gratia ex ſe efficax eſſet & prædeterminans, quod rectè ne an ſecus exiſtimaverit, videat P. Labat, qui ingenuè agnoſcit Calvinum inter & ipſos convenire in antecedente, nempe quòd ab illo admittatur gratia ex ſe efficax & prædeterminans, & diſſidium eſſe de ſolâ conſequentiâ, an

Digitized by Google

videlicet hinc rectè inferatur perimi à gratiâ libertatem: contendo igitur ſolùm hoc curaſſe Tridentinum ut cum gratia quæ de facto datur, ſtare libertatem contra Calvinum doceret.

Confirmatur argumento quod aiunt ad hominem: nam P. Labat fingit ſibi aliquos, qui dicant Concilium ſolùm definire contra Calvinum nullam dari gratiam prædeterminantem, quorum interpretationem ut *frivolam & inſulſam ac Concilio iniuriam* pronũtiat: *quia*, inquit, *ut Concilium prudenter, & perſpicuè id definiret, decretum his verbis, vel æquivalentibus formandum erat: ſi quis dixerit dari in homine gratiam ex ſe efficacem & prædeterminantem Anathema ſit*: ex eâdem formâ ego ſic argumentor: ſi Concilium intendiſſet, ut vis, & ad id conveniſſet, ut Calvinum damnaret, quatenus aſſerebat prædeterminationi liberum arbitrium non poſſe diſſentire, *ut prudenter & perſpicuè id definiret, decretum his verbis vel æquivalentibus formandum erat: ſi quis dixerit liberum arbitrium prædeterminationi phyſicæ non poſſe diſſentire anathe-*

ma ſit tuum eſt illud argumentum, vide quid reſponſurus ſis, quo non deſtruatur totum id quod mox concedebas.

Iterum rem confirmo: non deerant voces Patribus Concilii, quibus clarè definitionem conciperent, ad hoc, ut ais, imprimis convenerant, ut ſancirent prædeterminationi liberum arbitrium poſſe diſſentire; res erat ſanè maximi momenti, ut Concilium non fruſtraretur eo, quod maximè intendebat; legatur itaque Canon. 4. ubi rem definit: lego & relego, ſed nec expreſsè, nec æquivalenter invenio *prædeterminationi* liberum arbitrium poſſe diſſentire: iſtud duntaxat lego: *liberum arbitrium motum à Deo poſſe diſſentire*: Vbi in hoc Canone aſſerta prædeterminatio, præſertim cùm ante & poſt Tridentinum variè explicetur à Doctoribus illius motionis natura? vides quàm gratuitò vocem illam *motum à Deo* Adverſarii interpretantur *prædeterminatum*.

Sed, inquies, nihil ergo definitum contra Calvinum: imò expreſſiſſima,

eſt damnatio Calvini:nam Concilium expreſsè definit *liberum arbitrium motum à Deo poſſe diſſentire* : Calvinus ex adverſo ante & poſt Tridentinum ſcribit, motioni divinæ non poſſe diſſentire ; ante Concilium quidem in inſtitutione ſua : *voluntatem*, inquit, *mouet gratia, non qualiter multis ſæculis creditum eſt, ut noſtræ poſtea ſit electionis, Motioni obtemperare, aut refragari* : quod à Trid. damnatum idem Calvinus poſt Concilium in antidoto agnoſcit : *in eo hallucinantur* (Patres) *quod motum nobis offerri ſomniant ; qui mediam nobis electionem relinquat* &c. Quid autem eſt, *non eſſe noſtræ electionis obtemperare, aut refragari gratiæ quâ voluntas movetur : motum nobis oblatum nobis non relinquere mediam electionem* ; quàm liberum arbitrium non poſſe diſſentire Deo moventi, cui propoſitioni Concilii dixit Anathema. Ergo à primo ad ultimum maniſeſtè damnatur hoc Canone Calvinus, quamvis nulla ibi expreſſa fiat prædeterminationis mentio, ſed præſcindatur ex parte ſubjecti à privatis

Doctorum opinionibus.

Quare fruſtra inſtant, dum aiunt: vel Concilium loquitur de gratiâ prædeterminante, vel de indifferenti: ſi primum: ergo Concilium definit poſſe diſſentiri gratiæ prædeterminanti: ſi ſecundum non agit contra calvinum: neque enim is erat adeo ſtupidus ut rem manifeſtam negaret, voluntatem ſcilicet poſſe diſſentire gratiæ indifferenti. R. Concilium ex parte ſubjecti nec loqui de gratiâ prædeterminante, nec de indifferenti, aut quâvis alia in particulari: quia abſtrahit à privatis illis opinionibus, ex parte tamen prædicati loquitur de gratiâ indifferenti, quatenus motioni divinæ tribuit prædicatum, quod ſoli motioni indifferenti convenire poteſt, atque hoc ipſo rejicit prædeterminationem.

Explicatur. Quando Concilium aſſerit liberum arbitrium motum à Deo poſſe diſſentire (motioni ſcilicet quâ à Deo movetur) propoſitio illa poteſt in iſtam reſolvi: motio quâ Deus movet voluntatem talis eſt, ut poſſit vo-

Digitized by Google

luntas illi diſſentire : in hac propoſitione motio eſt ſubjectum, non autem motio prædeterminans, aut indifferens : nam ab iſtis omnibus præſcindit motio importata in ſubjecto, ut qui dicit: *paries eſt albus*; ex parte ſubjecti nec dicit parietem album: nec nigrum : ſed præſcindit ; unde in utraque propoſitione, quamdiu enuntiatur ſolum ſubjectum, ſuſpenditur ſenſus, & nondum ſcitur de quâ motione, aut de quo pariete ſermo ſit ; donec accedat prædicatum, quod determinat ſignificationem ſubjecti ad ſpeciem certam vel individuum. Ita ſi P. Labat nouum Doctorem in Accademia cujus ſententiam exploratam non haberet, ex pulpito dicere incipientem audiret : *motio quâ nos Deus movet ad contritionem* (*auditores*) adhuc ſuſpenſus foret P. Labat ſpem inter & metum, an de motione prædeterminante loqueretur, an de congrua, ſed ceſſaret ſtatim anceps illa Patris ſuſpenſio, ubi primum audiret pergentem dicere, *motio*, inquam, *quâ nos Deus movet ad contritionem non eſt determi-*

nans voluntatem; vel *eſt ex ſe indifferens ad effectum*; tum ſtatim ſentiret Pater Labat quam Orator ille opinionem amplecteretur: ſed unde fit, ut id non intelligeret auditâ primâ parte propoſitionis, quam officiosâ ſalutatione interrupit? quia videlicet ex parte ſubjecti de nulla in particulari & determinatè loquitur, ſed præſcindit: ita dum dico *paries eſt*, nondum intelligis, de quo pariete loquor de albo an de nigro, ſed ſi mox addam *albus*: jam ex prædicato intelligis de quo pariete loquutus ſim.

Eodem planè modo ſe res habet in omni fermè propoſitione, atque adeo in definitione Concilii: dum enim ait *motio divina eſt talis* nondum ſcio an loquetur de prædeterminante, an de congrua & indifferenti, nam adhuc ab utrâque abſtrahit: at ubi lego: *ut voluntas poſſit illi diſſentire ſi velit*; tunc intelligo loqui Concilium de motione indifferenti: quia prædicatum iſtud *poße dißentire* quod motioni tribuit, nulli convenire poteſt præter quam motioni ex ſe indifferenti & non prædeterminatrici.

Cæterum ſi valeret ille modus argumentandi Adverſariorum, nulla foret propoſitio, quæ tanquam per ſe ridicula traduci non poſſet; fac aliquem dixiſſe, ſolem lucidum eſſe, continuò excipiet Sophiſta: vel loqueris de ſole lucido vel de ſole non lucido, ſi primum, ridiculè loqueris, nam ais ſolem lucidum, eſſe lucidum: ſi ſecundum, propoſitio eſt falſa: argumentum argumento compara, & mox deprehendes utrumque eſſe ſophiſma per ſe ridiculum: Prædeterminantes arguunt. Vel Concilium loquitur de gratiâ indifferenti, vel de prædeterminante, ſi primum, ridicula eſt definitio Concilii, quis enim ita inſaniat, ut neget gratiæ indifferenti poſſe diſſentiri? ſi ſecundum, habemus intentum quid, quæſo, inter utrumque argumentandi modum diſcriminis? fuſè iſtud explicui, ut omnes intelligant quo argumento ſibi Trid. vendicent adverſarii. Primum illud ſophiſma excipiat aliud.

Qui præmotiones phyſicas negant, eo nomine rejiciunt, quòd ab illis libertatem perimi putent; hinc Adver-

ſarij, quoniam lege ſancitum eſt, ne alter alterius opinionem cenſurâ aliquâ notet, ſic argumentantur. *Si prædeterminatio tolleret libertatem eſſet hæretica: ſed non eſt hæretica: ergo non tollit.* Maj. probant: quia quod tollit libertatem eſt damnatum, &c. R. 1. retorquendo, neſcio enim quo fato ſit, ut nullum ferè contra nos ſophiſma proponant, quod pari vi in illos non retorqueatur. Pater Labat cum cæteris prædeterminantibus ſententiam noſtram ait tollere cauſam primam, & Pelagianiſmi labe eſſe infectam: unde ſic viciſſim ego poſſum argumentari: ſi opinio negans prædeterminationem, tolleret cauſam primam & conſentiret cum Pelagianiſmo, eſſet hæretica, imò athæa: atqui non eſt hæretica: ergo &c. Vides idē omnino argumentum? hoc tamen ſentio inter utrumque intercedere diſcrimen, quòd opinio noſtra facilè à Pelagianiſmi ſuſpicione, & cauſæ primæ everſione à nobis purgatur: ſed concordia libertatis cum prædeterminatione eſt, ut multi putant, impoſſibilis, niſi ex-

purgantur præſertim ex Tridentino aliquot lineæ.

R. 2. hujuſmodi eſſe hunc argumentandi modum, ut ſi valeat, nulla ferè ſit in Theologia opinio utrinque probabilis, quam non deſtruat; & viciſſim adſtruat: rem pono in exemplo. Thomiſtæ docent Verbum non fuiſſe incarnandum, ſi homo non peccaſſet: Scotiſtæ contrariam opinionem autore Scoto tuentur: utraque pars contendit opinionem ſuam conformem eſſe Scripturæ (ex Scripturâ enim non modò iſta, ſed pleræque opiniones in Theologiâ probari ſolent) hinc autem Scotiſtæ ſic arguere poſſent: ſi opinio Thomiſtarum eſſet conformis Scripturæ; noſtra (quippe quæ alteri contradictoria eſt) eſſet contra Scripturam; ergo eſſet hæretica; Catholicè autem docetur; ergo opinio Thomiſtarum non eſt conformis Scripturæ. Viciſſim inſurgent Thomiſtæ, & ex eâdem formulâ ſic arguent. Si opinio Scotiſtarum eſſet conformis Scripturæ, noſtra foret contra Scripturam; ergo eſſet

ſet hæretica : atqui non eſt hæretica : ergo &c. O novum planè ludum ! ſed ludum tamen. Quis autem in hoc ludo vincat, quis in tam ſimili argumentatione definiat ?

Reſp. 3. Directè ſi prædeterminatio phyſica tolleret libertatem, idque vel aſſererent, qui illam tuentur, vel authoritate Eccleſiaſticâ, ex definitione videlicet Concilorum, ſummorum Pontificum, &c. conſtaret, aut omnibus id ex terminis evidens foret, eſſet hæretica; concedo majorem. ſi tolleret libertatem, ſed id ex ſolâ privatorum Doctorum ſententiâ conſtaret, refragantibus aliis, eſſet hæretica: nego majorem. & conceſsâ minori, diſtinguo ultimam propoſitionem : ergo non tollit libertatem, ita ut ſit Eccleſiæ authoritate definitum quòd illam tollat; concedo ; citra talem definitionem, &c nego conſequentiam

Inſtant: nulla opinio deſtruens quod de fide eſt, ab Eccleſiâ toleratur : atqui opinio de prædeterminatione phyſicâ toleratur ab Eccleſiâ, ſicut & opinio negans : ergo, &c. R. Similiter ſic

Digitized by Google

Eccleſia non tolerat opinionem quæ deſtruit quod eſt de fide,ſi aut omnibus evidens ſit exterminis aut juxta ipſius autores,aut exEccleſiæ authoritate cõſtet ab illâ deſtruiquod eſt de fide,concedo;ſi ex privatâ dumtaxat Doctorum ſententiâ quorum alii affirmẽt,alii negent ab eâ opinione deſtrui quod eſt de fide; nego majorem; quæ diſtinctio applicanda eſt conſequentiæ.

Inſtant: ergo Eccleſia ſibi contradicit, dum hinc unum proponit tanquam de fide: illinc verò alterum permittit cum eo penitus incompoſſibile. R. ſibi contradicere Eccleſiam, ſi certum ſit, id quod permittit eſſe incompoſſibile, vel ſuſtineatur ab ipſius defenſoribus ut incompoſſibile, ſecus verò ſi privatâ dumtaxat Doctorum opinione id ſit incompoſſibile: quamvis autem Eccleſia permittat, idque ſapientiſſimè & neceſſariò opiniones in modo explicandi res fidei inter ſe contradictorias, atque adeò earum altera in re ſit incompoſſibilis cum fide,non tamen concedit ut de eo quod definivit, à quoquam dubitetur,

Digitized by Google

unde in illo opinionum diſſidio, utraque pars amplectitur, quod Eccleſia jubet, parata deponere opinionem ſuam, ſi tandem aliquando deprehendatur eſſe incompoſſibilis cum eo, quod eſt de fide; quod adeò certum eſt, ut ſi huic Theologiæ, quæ ſic objicit, honos aliquis aut locus eſſe poſſet, univerſa fermè Theologia ab Eccleſia eliminanda eſſet: cùm enim pleraque in Theologiâ ex Scripturâ & Conciliis probentur, idque probabiliter tantùm (ex quo fonte fluxit illa opinionum varietas) neceſſe eſt, ut duarum opinionum altera ſit contra Scripturam, vel Concilia &c. Ergo ab Eccleſiâ tolerari non debet: nam hoc ipſo quod pugnat cum Scripturâ, pugnat cum aliquo quod Eccleſia proponit tanquam fide certum: ſiquidem Eccleſia non minùs deſinit, quicquid Scriptura dicit eſſe certum, & amplectendum, & quicquid pugnat cum illâ eſſe hæreticum, & rejiciendum, quàm quidquid tollit libertatem eſſe hæreticum, & pariter rejiciendum: quid diutiùs morer in re adeo manife-

Digitized by Google

ſtâ, vel exemplis ex omnibus fermè Theologiæ quæſtionibus petitis rem lumine naturæ notam confirmem?

Audivi qui ſic inſtaret: ergo qui docent prædeterminationem tollere libertatem ſciunt plus quàm Eccleſia ſciat: egregiam ſanè inſtantiam! ſed quid tam abſonum, quod proponi non poſſit? R. uel per Eccleſiam intelligunt totam collectionem fidelium, vel partem, ſi 1. tota collectio ſcit ratione partis, quod ſcit pars quælibet: ſi 2. quid, quæſo, incommodi eſt, ut una pars Eccleſiæ ſciat, quod altera neſcit? Deinde retorquetur miſera illa argutia in illos: numquid enim illi dicunt noſtram opinionem tollere cauſam primam? An Eccleſia hoc ſcit an neſcit? quod ipſi reſpondebunt, ſibi viciſſim reſponderi putent: quanta ſit oportet penuria argumentorum, ubi iſta proponuntur.

Tertium argumentum ſic habet: actio pendet ab agente actuali ut actuale eſt: ſed non poteſt conſtitui principium in ratione principii actualis, niſi per aliquid prævium: ergo, &c.

Digitized by Google

Min. probant: non poteſt conſtitui per ipſam operationem; alioquin pēderet à ſe ipsâ, nec etiam per potentiam, ad agendum: quia ut ſic eſt tantum principium in potentiâ: ergo debet dari aliquid quo ex potentiâ tranſeat in actum. R. 1. nego majorem, quæ nihil aliud continet quàm meram petitionem principii: nam controverſia eſt inter nos, utrum cauſa ſecunda, ignis *v.g.* ut prodvcat calorem in ligno, requirat aliquid aliud præter debitam approximationem cum ligno, vim quam habet in ſe permanenter ad producendum calorem, & omnipotentiam paratam ad concurrendum ſimultaneo influxu: nos dicimus nihil aliud requiri: prædeterminantes addendam putant entitatem in igne receptam, quæ non det vim agendi, ſed actu agere, ſitque prævia ad actionem: quo verò argumento id probant? quia, inquiunt, actio debet pendere ab agente actuali ut actuale eſt, hoc eſt? ab agente quod præter potentiam habeat aliquid prævium, quo reducatur in actum: atqui hæc eſt ipſamet quæ-

ſtio, quæ inter nos controvertitur: ergo probant dari prædeterminationem, ſeu aliquid prævium; quia datur: optimum ſanè argumentum, modò probetur, quod gratis aſſumit: quare dico falſiſſimum eſſe actionem pendere à principio actuali ut actuale; quaſi verò præſupponat aliquid præter entitatem cauſæ actu exiſtentem cum omnipotentiâ ad concurrendum præparatâ: & in hoc ſenſu concedi poteſt pendere à principio actuali, id eſt, actu exiſtente.

R. 2. quamvis permitteretur totus ſyllogiſmus, jure negaretur ultima conſequentia: nihil ſiquidem aliud hinc inferes, niſi dari aliquid prævium in causâ receptum: an verò illud eſſet prædeterminans cauſam, nondum evinceretur; vides quanta ſit vis argumenti?

R. 3. minorem eſſe falſam: nam eſſe principium actuale eſt denominatio petita ab ipſo principio, & operatione, ut denominatio cognoſcentis, ſcribentis, ambulantis, loquentis, &c. Petitur à principio cognitionis, ſcri-

ptionis, &c. & ab ipsâ cognitione, ſcriptione, &c. Quid, quæſo, hac in re novum aut difficile? Dicendum igitur eſt actionem pendere à principio actuali ſpecificativè ſumpto, ſed non reduplicativè: hoc eſt, pendet à principio, quod denominatur actuale per ipſam operationẽ, ſed non ab ipsâ operatione, à quâ ut à formâ principium denominatur actuale: unde concedo principium non conſtitui in ratione actualis, per ſolam potentiam quam habet, ſed per potentiam & operationem; nego autem ad hoc ut exeat in actum requiri aliquid prævium, quare hoc alio illis argumento probandum incumbit.

Quartò argumentantur ex ratione cavſæ primæ, quæ cum eſſe debeat prima in agendo, requiritur ut priùs influat, non in operationem: ergo in cauſam: eôdem fermè recidit quod objiciunt de primo movente, quod moveat & non moveatur, ſed jam ſuperiùs iſta occupavi, ubi explicui ex mente D. Thom. quid ſit Deum movere cauſam, quidve requirat ad ratio-

nem cauſæ primæ : addo tamen juxta S. Thomam Deum non eſſe cauſam primam ſolùm, quia eſt cauſa univerſaliſſima potens producere totam rationem entis, hoc eſt, quicquid eſt producibile,cum cauſæ ſecundæ vis ſit ad certos effectus limitata; non ſolùm quia prius ipſe debet producere cauſam, & omnipotentiam illi exhibere, quàm ipſa cauſa agat : non ſolùm quia priùs logicè Deus agit quàm cauſa ſecunda, valet enim conſequentia,cauſa ſecunda agit: ergo Deus;non vicè versâ, Deus agit : ergo cauſa creata:ubi adverte non ſumi hîc actionem contractè pro tali actione, nam ut ſic eſt mutua conſequentia ab actione Dei ad actionem cauſæ creatæ & viciſſim, ſed in genere, & præſcindendo, in quo elucet creaturæ dependentia, non in eſſendo tantùm, ſed etiam in agendo, & ratio entis participati : nam hoc ipſo evidens eſt pendere ab alio : non illo, inquam, multiplici modo tantùm Deus eſt cauſa prima in agendo ex D. Thom ſed quia, ut ipſe loquitur, profundiùs &

penitiùs

penitiùs ingreditur Dei actio ſubſtantiam effectus, quod quidem non ita intelligi debet, quaſi verò creatura ſuperficiem dumtaxat effectus attingat, quippe quæ totum omnino effectum indiviſibili actione cum Deo producit: ſed innuit hoc loquendi modo D. Thomas longè perfectiùs Deum concurrere, quàm influat creatura, modo dignitati cauſæ primæ conformi, ita ut ſi comparentur conatus creaturæ, & Dei, ſit inter utrumque ſumma diſtantia; ita ſi muſca & Elephas navim ſimul traherent, tota quidẽ actio eſſet a muſcâ æquè ac ab Elephante, at quàm diſpari modo; nimirum aliquid ex nihilo ſui educere tam arduum ac nobile eſt, ut quicquid ad hoc creatura confert nullius ſit ferè momenti, quamvis totum effectum attingat, ſed hæc Deo in primis tribuenda eſt actio, ut tractio navis in primis Elephãti tribueretur, non muſcæ: ideoqne dicimus Deum in agendo eſſe cauſam primam, dignitate ſcilicet, & conatus ſui præſtantiâ: non eſt etiam cauſa ſecunda libera primum

Digitized by Google

determinans : quia ſupponit priùs Deum determinatum ad vim producendi illi ſubminiſtrandam & præparandam omnipotentiam ; præterea priùs determinatur voluntas ad motus quoſdam indeliberatos & neceſſarios, qui in Deum, quoniam fluunt à voluntate, ut eſt natura, præcipuo quodam jure refunduntur, ut diximus cap. proximè præcedenti.

Quintum addo, quo ipſi utuntur tum ut nos impugnent, tum ut ſe ab argumento contra prædeterminationem fieri ſolito tueantur : impugnatur plerumque prædererminatio ex libertatis excidio, quod videtur invehere ; quoniam inducit neceſſitatem antecedentem, ita ut independenter ab omni uſu libertatis determinet volvntatem ad actum, &c. Reſponent Adverſarii determinare quidem per modum liberi, ſed non per modum naturæ, ſeu neceſſarii, cùm enim Deus ſit omnipotens, accommodat ſe naturis rerum, & cauſas liberas determinat modo ipſis accommodato, nempe per modum liberi, neceſſarias verò per modum

naturæ. Hoc reſponſum, aut argumentum, quod illinc deduci poteſt rejicimus ex multiplici capite. Primò quidē quia eſt mera petitio principii: ita ſiquidem procedit argumentum: quod datur independenter ab uſu libertatis, & antecedit operationem illius, eamque determinat ad agendum, tollit libertatem; diſtingunt illi: quod datur independenter... & determinat per modum liberi, tollit libertatem; negant: per modum neceſſarii: concedunt: contra: determinare per modum liberi ſeu modo accommodato libertati eſt formaliter idem ac determinare non tollendo libertatem: ergo dum ais, id quod determinat per modum liberi non tollit libertatem, reſpondes idem omnino ac ſi diceres: id quod determinat non tollendo libertatem, non tollit libertatem, quæ ut vides nuda eſt theſeos propoſitio, & mera petitio principii.

2. Illa propoſitio: antecedere operationem noſtram, & determinare ad illam per modum liberi involuit contradictionem: ergo nulla diſtinctio:

Digitized by Google

nam id omne, quod antecedit operationem & ad illam determinat, tollit libertatem ergo implicat determinare per modum liberi: antecedens probatur: quia cum Deus poſſit abſolutè determinare voluntatem noſtram per modum naturæ, aut neceſſarii (nam juxta adverſarios Deus determinat ad modum effectus, nempe ut ſit liber aut neceſſarius, & poteſt abſolutè determinando neceſſitare voluntatem) quod cum ita ſit inexplicabile eſt quid habeat determinatio per modum naturæ, aut neceſſarii, præ aliâ, quæ gratis appellatur determinatio per modum liberi: unde ſic argumentor: determinare per modũ naturæ nihil eſt aliud, quam immittere in voluntatem aliquid independens ab uſu libertatis, antecedens & determinans ad operationem: atqui omnis prædeterminatio hoc habet: ergo omnis determinat per modum naturæ. Majorem probo, quærendo quid aliud includat.

Reſpondent aliqui unam eſſe à Deo, & non aliam, contra utraque poteſt eſſe à Deo: ergo, &c. alii di-

Digitized by Google

cunt determinationem per modum naturæ non relinquere potentiam ad oppoſitum: ſed contra: ideo præciſè determinatio per modum naturæ non relinquit potentiam ad oppoſitum: quia eſt aliquid antecedens, independens ab actu libertatis & determinans: atqui omnis prædeterminatio habet hoc: ergo, &c. Denique quicquid afferant, eſt eodem modo urgendum, & ſenties ſtatim nihil ab ipſis afferri poſſe, quod vel non ſit mera petitio principii, vel locum non relinquat eidem omnino argumento.

3. Si valeat hæc diſtinctio dicam pariter coactionem non pugnare cum libertate, ſi poſſibilis ſit: urgenti autem reſpondebo diſtinguendo coactionem per modum liberi, & aliã per modum neceſſarii: dicam non minùs philoſophicè cœcitatem per modum potentiæ viſivæ ſtare cum facultate videndi, secùs verò cœcitatem per modum privantis viſu, vinculis alligari non tollere libertatem currendi, ſi fiat alligatio per modum liberi, quamvis non magis poſſint rejici aut

frangi illa vincula, nec cum illis conjungi curſus, quàm abjici poſſit prædeterminatio, aut cum illâ conjungi non actus. Hæc pluribus in primâ parte.

Eâdem vi opponunt, aut reſpondent neceſſitatem ex ſuppoſitione & conſequentiæ non tollere libertatem: contendunt autem non aliam induci à prædeterminatione, quia prædeterminatus ad aſſenſum aſſentitur, non poteſt autem conjungi diſſenſus cum aſſenſu: ergo neceſſe eſt ut non ſit diſſenſus ex ſuppoſitione aſſenſus: ſed contra 1. nam vel diſſenſus poteſt conjungi cum ipsâ prædeterminatione ad aſſenſum, vel non; ſi primùm: ergo prædeterminatio ex ſe & intrinſecè nihil habet ratione cujus non poſſit conjungi cum diſſenſu: ergo ex ſe non flectit voluntatem ad aliquid oppoſitum diſſenſui: ergo non prædeterminat ad aſſenſum ex ſe, ſed indifferenter poteſt conjungi cum alterutro: hoc autem eſt deſerere opinionem prædeterminantium. Si ſecundum ergo impoſſibilitas diſſenſus oritur ex aliquo

Digitized by Google

antecedenti., nempe prædetermina-tione, quam cum nec voluntas poſſit tollere, nec cum illâ conjungere diſſenſum, eſt impoſſibilitas antecedens. 2. illa neceſſitas non eſt ſuppoſitionis, quam libertas nec poſuit, nec poteſt tollere: atqui libertas nec fecit, nec poteſt tollere neceſſitatem, quæ oritur ex prædeterminatione: ergo illa non eſt neceſſitas ſuppoſitionis: minor quæ ſola probanda eſt patet: quia nec penes me eſt prædeterminationem tollere, nec illâ ſtante ſuſpendere aſſenſum: ergo aſſenſus eſt ex neceſſitate antecedenti, atque adeo & diſſenſus. Hæc pluribus in 1. parte.

Arguunt præterea ex ſubordinatione cauſæ ſecundæ ad primam; nam inquiunt, ad talem ſubordinationem requiritur ut priùs naturâ influat in effectum prima quàm ſecunda, ut ſecunda habeat à primâ non nodo virtutem, ſed etiam operationem: nec aliter poteſt intelligi illa ſubordinatio, quia aliâs non minus penderet cauſa prima à ſecundâ quàm ſecunda à primâ, cum neutra poſſit influxum ſimultaneum

ponere ſine aliâ, quod confirmant, quia quod eſt aliquando in potentiâ aliquando in actu, reducitur in actum per aliquid prius actu; neque aliter poteſt intelligi quomodo reducetur in actum: ſed cauſa prius eſt in potentiâ, deinde in actum: ergo, &c.

Reſpondeo, Si comparetur cauſa prima ad ſecundam, certum eſt primam eſſe naturâ priorem etiam reſpectu influxus ſimultanei: quia cauſa ſecunda habet eſſe, virtutem cauſandi, & omnia prærequiſita ad actionem à Deo: ſed ſi comparetur influxus utriuſque cauſæ in effectum, neuter proprie eſt prior naturâ alio: quia ordo naturæ cum fundetur in cauſalitate, ſupponit diſtinctionem realem, qualis non eſt inter iſtos influxus, ſed ſolius rationis.

Iuxta quam doctrinam præter vim producendi quam Deus dat, influxus ut eſt à cauſâ primâ, prior eſt dignitate, ut explicui, vel quatenus reſpicit cauſam univerſalem & independẽtem, vel in ſubſiſtẽdi conſequentia; & gratis alia requiritur ſubordinatio: denique

poſita

poſitâ præmotione Deus concurrit cum causâ ſecundâ & reſpectu talis influxus debet habere rationem cauſæ primæ , ſimiliter cauſa ſecunda ut affecta præmotione adhuc eſt Deo ſubordinata in agendo, ideoque exigit concurſum ſimultaneum & tamen ille influxus, ut eſt à causâ primâ non eſt prior naturâ ſeipſo, ut eſt à ſecundâ : ergo illa ſubordinatio non poſtulat illam prioritatem ; quod autem dicunt cauſam primam dare operationẽ cauſæ ſecundæ, eatenus verum eſt, quatenus cauſa ſecunda habet à prima,tum virtutem , tum omnipotentiam concurrentem cum ipſa,eo modo quo diximus : quod addunt potentiam reduci in actum per aliquid prius , & gratuitum & falſum eſt,ubi quæſtio eſt de potentia activa, nam iſtam redigi in actum, eſt agere, ad hoc autem non requiritur aliquid prius diſtinctum à virtute activa, omnipotentiæ applicatione , & conditionibus quas ſolemus admittere :ſi verò loquuntur de potentia paſſiva,fateor illam indigere aliquo agente à quo reducatur in actum: ita

Digitized by Google

voluntas, dum amat liberè, recipit amorem à ſe ipſa, Deo cooperante, & prius eſt ratione noſtra agere abſtractè, quàm recipere: quod ſi effectus ſit ſupernaturalis, anima prius recipit gratiam, ſed non præmoventem phyſicè.

Arguunt ultimò, à cauſa indifferenti non poteſt exire effectus determinatus: ergo, &c. Reſp. Nego antecedens: nam cum cauſa indifferens & libera ſint formaliter idem, gratis dicunt à causâ liberâ non poſſe eſſe effectum determinatum: quia cum voluntas ſit proximè potens ad plures effectus abſque prædeterminatione (quippe quæ dat agere & non poſſe) habeatque ex D. Thom. dominium in ſuos actus, hoc ipſo poteſt ſe flectere ad utrumlibet cohibendo unum & erumpendo in alterum: inexplicabile autem eſt quo modo voluntas agat ex dominio, ſi ab alio determinetur, nam quæ optio relinquitur mihi ad aſſenſum potius quam ad diſſenſum, ſi ante omnem uſum libertatis meæ, immitatur mihi prædeterminatio, quam nec rejicere, nec cum illa ſecundùm ſe

ſpectatâ diſſenſum conjungere poſſim? rem explico: tria ſunt quando aliquis amat, ex quibus quaſi catena quædam contexitur: primum eſt decretum efficax Dei mihi minime liberum, en primum catenæ iſtius annulum 2. prædeterminatio quæ ex illo ſequitur neceſſariò, nec mihi libera eſt: hic eſt alter annulus: 3. eſt amor veluti tertius annulus, quem eâ efficaciâ trahit ſecundus ut impoſſibile ſit ſtantibus primo & ſecundo mihi non liberis, non eſſe tertium: ſe quiſque conſulat, & ſenſum communem; quid ipſe diceret, ſi crimini ſibi verteretur tertii annuli poſitio, eoque nomine æternis flammis addiceretur.

Sed, inquiunt, non poteſt res certa, qualis eſt effectus, ab incertâ, qualis eſt cauſa indifferens exire: ergo &c. Quis rem intelligat, & non rideat iſta proponi: quiſquis hoc objicis an putas animam tuam eſſe individuum vagum & incertum? eſt tamen cauſa indifferens: an putas voluntatem Petri non eſſe rem certam, hoc eſt, unam determinatè & non aliam? quod ſi per cau-

Digitized by Google

ſam incertam dicis à te intelligi indifferentem, primò malè loqueris, quia contra uſum ab omnibus receptum vocem uſurpas; 2. nihil dicis quo probes à cauſâ indifferenti non poſſe exiret effectum determinatum, ſed proponis ipſam theſim.

Hæc ſunt præcipua adverſariorum argumenta, quæ propoſui ut lector intelligat, quàm ſit deſtituta hæc ſententia veris rationibus.

EPILOGVS.

In quo reſpondetur clauſulæ operis Patris Labat.

CLaudit tandem R. Pater diſputationem ſuam multiplici commendatione doctrinæ D. Thom. quod quis, licet extrà locum non æqui bonique conſulat? ſed Theologi munere hactenus pluſquam ſatis ſe perfunctum eſſe ratus, illicò oratoris perſonam induit, & grandi cothurno incedens ad nos non obſcurè orationem ſuam convertit, noſque *antiquæ, veræ ac tutiſsimæ doctrinæ diminutionem ſentire*, ait, *atque in ſcholæ ſtudiis palabundos potiùs vagari quàm incedere, etiamſi ab aliis in omnibus iactari ambiamus.*

Cur hæc dicat Rever. Pater, ego

Digitized by Google

quidem non novi, neque fortè ipſe, qui hæc ſcripſit: nam quod ad imminutam doctrinam ſpectat, votum id quidem eſſe multorum ſentimus, fateor, ſed nobis nondum licuit illorum votis facere ſatis: quia cùm hinc æmuli latenter, illinc hoſtes apertè, perpetuò, & undique nos urgeant ac impugnent, vel invitos in omni diſciplinarum genere exercitatiſſimos faciunt, ut ſi ad altiorem doctrinæ gradum non promoveamur, ab eo certè qualicumque quem obtinemus non facilè decidamus; an fortè infrequentiam auditorum in argumentum ſumet imminutæ doctrinæ: at in tantâ viciniâ bis ſingulis fermè diebus oculos ſuos vel aures conſulat & illis credat: nondũ certè vidi vel audivi nos oſtiatim uſpiam Auditores precarios emendicare, quaſi verò quintum in Eccleſiam inducere velimus Ordinem mendicantium: vereor itaque ne qui Theologi, & oratoris partes hactenus ſuſtinere voluiſſe viſus eſt, poëtam etiam agere voluerit, ac per licentiam poëticam ſcripſerit *ſentire nos doctrinæ di-*

Digitized by Google

minutionem : quod autem ait, vagari nos in ſcholæ ſtudiis palabundos; potiùs quàm incedere; agnoſco libens non eâ nos in ſentiendo conſtantiâ præditos eſſe, quam noſtris temporibus præ ſe ferunt non pauci; quot enim novimus, quorum animis præjudicata ſemel opinio tam altè infixa hæret, ut ne Romanæ quidem Sedis authoritas, ſi vel in contrariam partem eat apertè, aut certè non obſcurè propendeat, eos illinc valeat dimovere? at nos, quibus negatum eſt tam robuſtum pectus, cervices ſtatim demittimus, & quicquid Roma loquitur, flecti in omnem partem faciles, illicò amplectimur; an verò propterea in ſtudiis palabundos vagari nos meritò quiſquam dicat, ſapientum judicio dirimendum permitto.

Aliud, quod ſentio, caput eſt, ex quo illa in ſtudiis vagandi licentia tribui nobis poteſt: Enim verò non juramus in verba cujuſquam, ſed Divo Thomæ, ubi nec major authoritas, nec ratio manifeſta obſtat, ſummâ reverentiâ inhæremus quidem, at in cæ-

teris quæ vel S. Doctor non attigit; vel ad Scripturæ interpretationem ſpectant, vel ad philoſophiam, omnes conſulimus ac veremur, ſed nullum tam religiosè ſequimur, ut ab eo recedere nefas eſſe nobis putemus, ubi in alio veritas quam inveſtigamus, quærentibus affulget clariùs: quare modò cum Suare, modò cum Vaſque, modò contra utrumque cum alio quopiam, qui rem certiùs attigiſſe videatur, ſentimus: ut enim in indagandâ præda venaticos canes in omnem partem demittit ſolers venator, ne ſi unius omnes eadem legant veſtigia, à prædâ ſi dux aberret, cæteri pariter aberrent cum illo, ita qui veritatem venantur, unius veſtigiis eâ Religione ſibi inſiſtendum non putant, ut majori illius inveniendæ affulgente ſpe, ſi ſe alteri adjungant, à cæteris recedere, ut iſtum ſequantur, crimini vertendum credant; hanc nos legem tenemus, nec facilè patimur privati cujuſdam Doctoris authoritate ſic duci, ut quò ille præiverit, ſtatim, quamtumvis reluctetur ratio, ſequamur vel

neſque

Digitized by Google

inviti, quid faceres, nondum aſſuevimus præjudiciis quæſtionẽ omnem definire, nec adeo ſumus dociles, ut privati hominis ingenio ſervitutẽ ſervire, omnium noſtrûm ingenia didicerint; hanc aliis laudem integram relinquimus, ut quicquid unus dixerit, illicò exclament, dictum bene; illicò intellectum captivandum pronuntient, & ab illo aſſenſum non ratio impetret, ſed imperium extorqueat; hanc tu in ſentiendo conſtantiam, ſed Cajetanus apud Canum judiciorum carnificinam appellat, tu in ſtudiis nos palabundos vagari dicis, nos verò inter duram ſervitutem, nimiamque licentiam, honeſtam libertatem medios tenere affirmamus: cujus autem partes potiores ſint, nec ego forſan tibi crederem, ſi definires, nec viciſſim tu mihi: in hac parte jam ſumus ergo pares.

Aliud addit R. Pater, quod grauius nos torqueret, ſi verum eſſet; *ab omnibus*, ſi homini credere fas eſt, *iactari ambimus*, ſimile quid olim in Auguſtinum quidam Monachi hac in par-

Digitized by Google

te malè ſuſpicaces muſſitabant, *ſuggerebant*, inquit *Hieron.* ep. 14. ad Aug. *non ſimplici à te animo factum, laudem atque rumuſculos, & gloriolam populi requirente, ut de nobis creſceres*; hos alicubi Auguſtinus miratur *de Auguſtino reſciviſſe, quod de ſe ipſe neſciret*: cùm ergo tam præſidenter nos ambire ſcribat in omnibus jactari, juvat compellare hominem, & ſciſcitando ab illo quærere, unde hoc reſciverit? An à novatoribus? ſed Si Religionis perduellibus fides habeatur, actum eſt de famâ omnium ferè, qui elapſis retrò ſæculis viri ſanctiſſimi extitere, quibus cum hæreticis aliquod bellum fuit: hoc enim iis hominibus ſolemne eſt, ut *quos gladiis nequeunt, voto interficiant*, & proſcindant calumniis: Hieron. ep. 25. ad Aug. an à nobis ipſis hoc audiſti? at hoc habent etiam, qui maximè laudari ambiunt, ut illud animi ſui vitium etiam aliquo modeſtiæ velo, quantum valent, obtegant: an illam laudis pruriginem res noſtræ per ſe loquuntur? ſed quæ? publicum fortè docendi munus, exercitatio-

Digitized by Google

neſque literariæ, publica pietatis erga proximum officia, victus, veſtitus? iſtis fermè definitur vita noſtra, uſuſque quotidianus, ſed quid in illis reprehendas, niſi ad arcanos cordis receſſus, quos unus Deus inſpicit, novius vates penetrare velis? Quantò mitiùs ego de te ſentio, R. Pater, qui cum in publicis diſputationibus, in privatis congreſſibus, in Academiâ, in compitis, voce, ſcripto, ubique opportune, importunè quinque tuas demonſtrationes, ut aiunt, circumferas, prædices, venales proponas, legendas ſuadeas, quæ omnia ſuſpicionem aliquam movere poſſent, ne tu non immenſùm abhorreas volitare per ora hominum, id tamen ego *ſimplici à te animo factum, non laudem atque rumuſculos, & gloriolam populi requirente, ut de nobis creſceres*, interpretor, contrà quàm de Auguſtino ſentiebant Monachi Hieroſolimitani, eâdem interpretandi benignitate accipio, quòd ſcribis pag. 5. ab aliquo te audiviſſe difficultatem illam intricatiſſimam, quam ſolvendam ſuſcipis, à

Digitized by Google

te planè perſolutam: Næ tu vir minimè malus es, qui aliis de te bona loquentibus, tam facilè credis; ego ſanè viciſſim audivi virum, eumque religioſum, & doctum, tui, tuorumque amantem, qui te in iſtis tuoſque conatus rideret: vides ut totus in maligno mundus poſitus eſt?

Hinc, ſed ad ſua converſus, *quod me gravius movet*, inquit, *Doctorem noſtrum Angelicum peſſimè larvatum in ſuas trahunt ſcholas, ut dum eius doctrinam vincere non poſſunt, ſubdolè corrumpant, memores Poëtæ: dolus, an virtus, quis in hoſte requirat*: tum lectorem admonet *caveat huiuſmodi hominum tamquam ſirenum voces, qui ſequelam doctrinæ D. Thom. familiarem mentiuntur, ut ſimplices vel ignaros fortè decipiant*, *quo conſilio*, inquit, *prorſus ignoro niſi fortè ineptiſſimo deſiderio famæ*: his ego ut vel excuſationem, vel fidem aliquam faciam, ſolemnem illam Poëtarum formulam addendam puto: *hoc canebat Pater Labat.*

Denique eorum quæ ſcripſit S. Th. ſenſum à Thomiſtis accipiendum eſſe

Digitized by Google

ſcribit, quippe qui aſſiduè Chriſtum cum Eccleſia orant: *da nobis, quæ docuit, intellectu conſpicere*, &c.

Dubitationem hac in parte aliquam mihi ſupereſſe ſentio, quam ſi tollat, rem, quod puto, faciet multis gratiſſimam, en itaque quod me ſuſpenſum teneat; communis hæc eſt Thomiſtis omnibus in S. Doctorem pietas, *ut aſſiduè Chriſtum cum Eccleſia orent: da nobis quæ docuit intellectu conſpicere, &c.* qui ergo fit, ut in explicandâ S. D. mente non una & eadem ſit omniũ vox, non unus ſenſus, at diverſus planè? cum itaque alii negent, quod alii affirmant, partem illorum falli neceſſe eſt, nec utriſque è cœlo afflata interpretatio dici poteſt: quem itaque potiſſimum audiam, ut certò S. Thom. mentem aſſequar?

Præterea cæteris Eccleſiæ ordinibus injurius ſim, maximè verò iis qui Angelici Doctoris doctrinam profitentur, ſi de illis ſic ſtatuam, ut in inveſtigandâ veritate lumen è cœlo non quærant, quamvis fortè cum Thomiſtis non ex eâdem formulâ orent: *da nobis, quæ docuit intellectu conſpice-*

Digitized by Google

re, &c. unde ergo conſtabit tibi conceſſum eſſe aſſequi veritatem, aliis verò hanc denegatam eſſe prærogativam?

Denique omnium minimè idoneus ad inveniendam veritatem mihi videtur eſſe, qui ſic Eccleſiæ lumen implorat, ut præconceptam jam animo ſententiam teneat, à quâ diſcedere nec velit ipſe, nec ſi maximè velit, id audeat, vel poſſit; fingamus, quæſo (liberæ enim ſunt cogitationes hominum) Patrem Labat novâ luce donatum certò deprehendere præmotiones phyſicas eſſe & præter, & contra mentem D. Thomæ, ejuſque ſententiæ falſitatem tam ſibi eſſe notam, quàm cui maximè; an propterea ſcribet, aut diſputando dicet, quid ſentiat? an ſi quis illum adeat, de prædeterminãtium opinione interrogaturus, quid credat, ſciſcitanti reſpondebit, hactenus ſe cum cæteris Thomiſtis fuiſſe hallucinatum, procul abeſſe D. Thomam ab illâ ſententiâ, ſed admittendam neceſſariò ſcientiam mediam & decretum indifferens, ut negotium li-

Digitized by Google

bertatis humanæ explicari poſſit? Hoc enimverò pauci, quod vereor, ſibi ſuaderi patientur: nam hoc juſjurandi religio, hoc domeſticarum legum ſanctitas vetat. Quæ cum ita ſint, ſic ſtatuo, nondum ſatis conſtare ad faciendam fidem, an à Thomiſtis accipiendus ſit ſenſus eorum, quæ D. Th. ſcripſit, liberumqne poſthac fore, ut antea fuit, alios nobis interpretes quærere, qui in D. Thomâ ſic ſancti Doctoris ſententiam quærant, ut ſi longè aliam, quàm putent, deprehendant, juramenti religione ab eâ amplectendâ non retardentur.

Sentio me diſputando lõgiùs orationem promoviſſe, quàm initio diſputationis mihi propoſueram: quare finem diſputãdi facio, ratus ſatis pro decreto indifferẽti, ad demonſtrationes Adverſarii contra prædeterminationẽ quam defendendam ſuſceperat, eſſe reſponſum, quod ſi cui breviùs, quàm vel argumenti copiâ, vel pro multiplici illâ rerum farragine, quas ille in unum congeſſit, feciſſe videor, velim utriuſque opus, ſi non gravetur, legat,

Digitized by Google

tumque intelliget, nec ad ultimum illud Theologiæ complementum refutandum pluribus, nec noſtræ quidem cauſæ illis fortaſſe paucis opus fuiſſe.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
Capitum primæ partis.

1. OCCASIO ſcribendi præmittitur, paginâ 3.

2. Proponitur brevis idea ultimi Theologiæ Scholaſticæ complementi à R. P. Labat editi, ex titulo quem operi ſuo præfixit. pag. 9.

Caput I. Proponitur breviter argugumentum difficillimum contra prædeterminationem Phyſicam, & ſolutio adhibita ab Adverſario, eaque ab alio mutuò accepta oſtenditur. pag. 21.

Caput II. Secum manifeſtè pugnat Adverſarius dum hinc prædeterminationem neceſſariam eſſe negat

ad obſervationem præcepti negativi, illinc omiſſionem puram poſſibilem negat, imò etſi eam admitteret, ſecum tamen non conſentiret. pag. 26.

Caput III. Quamvis neceſſaria non eſſet prædeterminatio ad obſervationem præcepti negativi, requireretur tamen carentia prædeterminationis ad oppoſitum. pag. 32.

Caput IV. Falsò docet violari non poſſe præceptum affirmativum, niſi præceſſerit peccatum contra præceptum negativum. pag. 38

Caput V. Fingit Autor ſolutionis, dum imaginatur diſpoſitionem negativam, ad quam infallibiliter ſequatur auxilium efficax. pag. 43.

Caput VI Quantùm Pelagio faveat Adverſarius; dum ex præviâ illâ diſpoſitione negativâ auxilium efficax ſeu prædeterminans dari aſſerit. pag. 50.

Caput VII. Data ab Adverſario ſolutio cum dogmate in multis jam prædamnato in multis conſentit. p. 60.

Caput VIII. Argumenta contra præ-

determinationem proponi ſolita, quæ ab Adverſario ſolvenda eſſent, ut ſtaret data ab illo ſolutio. p. 75.
Articulus I. De permiſſione peccati. pag. 78.
Articulus II. An prædeterminatio libertatem perficiat, an verò deſtruat, pag 108.
Articulus III. An prædeterminationi faveat Concilium Tridentinum, an verò illam deſtruat. pag. 130.

INDEX.

CAPITVM ALTERIVS Partis:

CAPVT PRIMVM.

QVale decretum nobis affingat Adverſarius, pag. 252.
Caput II. Falsò Societatis noſtræ Autoribus decretum indiferens, conditionatumque tribuitur, & cur à multis conditionatum appelletur. pag. 136.
Caput III. Falſum eſt decreti indiffe-

veſtigandæ Divi Thomæ ſententiæ perneceſſaria. pap. 250.
Articulus II. Solvuntur quæ ex D. Thomâ in gratiam prædeterminationis afferri ſolent ab Adverſariis. pag. 259.
Articulus III. Selecta quædam Divi Thomæ teſtimonia contra prædeterminationẽ proferuntur. p. 284.
Caput ultimum. In quo præcipua argumenta ab Adverſariis pro phyſicâ prædeterminatione proponi ſolita ſolvuntur. pag. 309.
Epilogus. In quo reſpondetur clauſulæ operis Patris Labat. pag. 349.

ERRATA.

PAgina 4. iſte.l. iſti. p.19. parum,l. parem v. 22. p. 37. in ſenſu compoſito, l. in ſenſu diviſo. v. 12. p. 38.expoſitio. l. expoſitio promittebatur. v.6 p. 48. qui, l. qûi. v. 25. p. 72. nihilhominus l.nihilominus. p. 80. diſcernit l. decernit. v. 22. p.85. fnturi, l. futuri. p. 86. ſubſtentaret, l. ſuſtentaret. p. 93. &, l. at. p. 112. independens, indepenti. v. 12. p. pag. 181. & produeat. l. ut producat. v. 3. p. 182. cut, l. cur. v. 26. p. 190. indibiſibiliter, l. indiviſibiliter. v. 19. p. 194. à vobis, l. a nobis v. 23 p. 223. pelaginiſmi, l. Pelagianiſmi. p. 246. doſtrinam, l. doctrinam. p. 281. ſuppoſitionam, l. ſuppoſitionem. p. 312. gratiam eſſe neceſſitatem, l. neceſſitantem. v. 240. p. 321. præſerim. l. præſertim.

Digitized by Google

AD LECTOREM

NE te in ipſo operis limine morer diutius, præmoneo ſtatim, non unius tantùm, contra quem diſputatio inſcribitur, imò illius Authoris ægrè ſuſceptam à me refutationem: graue enim nimis aut inane videbatur agere contra demõſtrationes, quales ſe proferre, è Scholâ ſcilicet prædeterminantium confidenter, ac palam gloriatur. Quas quidem ſi vera ſunt & manifeſta, nemo refutare poſſit: ſi priuata & ut vocant, perſonales, nemo perſequi velit niſi otioſus. Mihi vero nec otium abundabat, nec adeo eram iniquus, vt homini de me nihil malè merito qualemcumque ex eiuſmodi demoſtrationibus ſuis plauſum, & innocẽtem quam ipſe priuatim ac ferè ſolus capiebat voluptatem, inuiderẽ. Quare præcipua hîc prædeterminantium argumenta, quæ vel in ſcholis iactantur, vel in libris latè ſparguntur, cum reſponſionibus, & contrariæ ſententiæ fundamentis, in uſum ſi velis tuum, compendiosè propoſui, & quia R. P. Labat multa ex aliis collegit, & aliquid etiam ſui in communem cauſam contulit, demonſtraui nominatim, id quale demum & quantum ſit, ne is quem plurimùm veneror, præteritus à me aut contemptus videretur. Vale.

Digitized by Google

Approbatio Doctorum.

EGo infra ſcriptus Doctor Theologus, & Academiæ Toloſanæ, in ſacra Theologiæ facultate Profeſſor Regens Patrum Auguſtinienſium, perlegi præſentem tractatum, cui titulus eſt, *De Phyſica prædeterminatione, &c* à Reverend. admodum Patre Ioan. Courboulez, è Societate Ieſu, concinnatum in eoque nihil deprehendi contrarium fidei orthodoxæ aut bonis moribus, ſed omnia vidi conſona veræ & ſanæ doctrinæ, quæ tutò, & abſque periculo erroris in Scholis publicis defendi & ſuſtineri poteſt, iuxta ſummorum Pontificum, & Regis Chriſtianiſſimi diplomata. Datum Toloſæ in Cœnobio ſancti Auguſtini. Die 26. menſis Octobris, & anno ſalutis 1667.

F IOSEPH BRVNEL.

EGo infra ſcriptus Doctor Theologus in Academiâ Toloſanâ, fidem facio perlegiſſe me librum, cui titulus eſt *De prædeterminatone phyſicâ, &c.* In eoque nihil inueniſſe quod fidei Catholicæ, boniſque moribus adverſetur; ſed omnia juxta germanam Eccleſiæ & Divi Thomæ doctrinam circa illam materiam ſcripta. Da tum Toloſæ Die 20. Novembris 1667.

DVCASSE, Doctor Theologus.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

PERMISSIO VIC. G.

VIsâ Doctorum approbatione, permittimus ſupra dicti operis impreſſionem. Toloſæ Die 24. Novembris 1667.

I.I. GLOTON Vic. Gen.

ã

Digitized by Google

Digitized by Google

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO - ROMA -

Digitized by Google